

TROZOS LATINOS

ESCOGIDOS

POR EL

Dr. D. Agustín Catalán Latorre

CATEDRÁTICO
DEL INSTITUTO GENERAL Y TÉCNICO
DE ZARAGOZA



ZARAGOZA

Tipografía de Gregorio Casañal, Coso, 98

1919

TROZOS

DE LA

HISTORIA SAGRADA

1.

Creó Dios el mundo en seis días

Deus creavit cælum et terram intrâ sex dies.

Primo die, fecit lucem.

Secundo die, fecit *firmamentum*, quod vocavit cælum.

Tertio die, coegit aquas in unum locum, et eduxit è terrâ plantas et arbores.

Quarto die, fecit solem et lunam, et stellas.

Quinto die, aves quæ volitant in aëre, et pisces qui natant in aquis.

Sexto die, fecit omnia animantia, postremò hominem, et quievit die septimo.

2.

Forma Dios de barro el cuerpo de Adam

Deus finxit corpus hominis è limo terræ; dedit illi animam viventem: fecit illum ad similitudinem suam, et nominavit illum Adamum.

Deinçè immisit soporem in Adamum, et detraxit unam è costis ejus dormientis.

Ex eâ formavit mulierem, quam dedit sociam Adamo; sicque instituit matrimonium.

Nomen primæ mulieris fuit Eva.

3.

Coloca Dios al hombre en el Paraíso terrenal

Deus posuit Adamum et Evam in horto amœnissimo, qui solet appellari *Paradisus terrestris*.

Ingens fluvius irrigabat hortum. Erant ibi omnes arbores jucundæ adspectu, et fructus gustu suaves. Inter eas arbor scientiæ boni et mali.

Deus dixit homini: Utere fructibus omnium arborum Paradisi, præter fructum arboris scientiæ boni et mali; nam, si comedas illum fructum, morieris.

4.

Adam y Eva desobedecen a Dios

Serpens, qui erat callidissimum omnium animalium dixit mulieri: Cur non comedis fructum istius arboris?

Mulier respondit: Deus id prohibuit. Si tetigerimus illum, moriemur.

Minimè, inquit serpens: non moriemini; sed eritis similes Deo, scientes bonum et malum.

Mulier, decepta his verbis, decerpsit fructum et comedit, deinde obtulit viro, qui pariter comedit.

5.

**Adam y Eva se ocultan de la presencia de Dios,
y se excusan de su pecado**

Adamus, fugiens conspectum Dei, se abscondit. Deus vocavit illum: Adame, Adame.

Qui respondit: Timui conspectum tuum, et ad-
scondi me.

Cur times, inquit Deus, nisi quia comedisti fruc-
tum vetitum?

Adamus respondit: Mulier, quam dedisti mihi so-
ciam, porrexit mihi fructum istum ut ederem.

Dominus dixit mulieri: Cur fecisti hoc? Quæ res-
pondit: Serpens me decepit.

6.

Maldice Dios a la serpiente y promete un Salvador

Dominus dixit serpenti: Quia decepisti mulierem,
eris odiosus et execratus inter omnia animantia;
reptabis super pectus, et comedes terram.

Inimicitiae erunt inter te et mulierem; ipsa olim
conteret caput tuum.

Dixit etiam mulieri: Afficiam te multis malis pa-
ries liberos in dolore, et eris in potestate viri.

7.

Adam es lanzado del Paraiso terrenal

Deinde Deus dixit Adamo: Quia gessisti morem
uxori tuae, habebis terram infestam; ea fundet tibi
spinas et carduos.

Queres ex eâ victum cum multo labore, donec
abeas in terram, è quâ ortus es.

Tum ejecit Adamum et Evam ex horto, ut ille
coleret terram, et collocavit angelum qui præferebat
manu gladium igneum, ut custodiret ad tum Para-
disi.

8.

Cain y Abel, hijos de Adam

Adamus habuit multos liberos, inter quos Cainus et Abel numerantur. Hic fuit pastor, ille agricola.

Uterque obtulit dona Domino: Cainus quidem fructus terræ; Abel autem oves egregias.

Dona Abelis placuerunt Deo, non autem dona Caini; quod Cainus ægrè tulit.

Dominus dixit Caino: Cur invides fratri? Si rectè facies, recipies mercedem; sin autem malè, lues pœnam peccati.

9.

Abel es muerto por Cain

Cainus non paruit Deo monenti. Dissimulans iram, dixit fratre suo: Age, eamus deambulatum.

Itaque unà ambo abierunt foràs, et quum essent in agro, Cainus irruit in Abelem, et interfecit illum.

Deus dixit Caino: Ubi est tuus frater? Cainus respondit: Nescio. Num ergo sum custos fratris mei?

10.

Castigo de Cain

Deus dixit Caino: Caino quid fecisti? Sanguis fratris tui, quem ipse fudisti manu tuâ, clamat ad me.

Infesta tibi erit terra, quæ bibit sanguinem Abelis: quum colueris eam longo et duro labore, nullos feret fructus. Eris vagus in orbe terrarum.

Cainus, desperans veniam, fugit.

11.

Construcción del Arca

Postquam numerus hominum crevit, omnia vitia invaluerunt. Quare offensus Deus statuit perdere hominum genus diluvio.

Attamen pepercit Noemo et liberis ejus, quia colebant virtutem.

Noemus, admonitus à Deo, extruxit ingentem arcam in modum navis; linivit eam bitumine, et in eam induxit par unum omnium avium et animalium.

12.

Diluvio: año del mundo 1656

Postquam Noemus ipse ingressus est arcam cum conjuge, tribus filiis et totidem nuribus, aquæ maris et omnium fontium eruperunt.

Simul pluvia ingens cecidit per quadraginta dies et totidem noctes.

Aqua operuit universam terram, ita ut superare quindecim cubitis altissimos montes.

Omnia absumpta sunt diluvio; arca autem, sublevata aquis, fluitabat in alto.

13.

Fin del Diluvio

Deus immisit ventum vehementem, et sensim aquæ imminutæ sunt.

Tandem, mense undecimo postquam diluvium

cœperat. Noemus aperuit fenestram arcæ, et emisit corvum, qui non est reversus.

Deinde emisit columbam. Quum ea non invenisset locum ubi poneret pedem, reversa est ad Noemum, qui extendit manum, et intulit eam in arcam.

Columba rursus emissa attulit in ore suo ramum olivæ virentis, quo finis diluvii significabatur.

14.

Sale Noé del Arca

Noemus egressus est ex arcâ, postquam ibi inclusus fuerat per annum totum ipse et familia ejus. Eduxit secum aves cæteraque animantia.

Tum erexit altare, et obtulit sacrificium Domino. Deus dixit illi: Non delebo deinceps genus hominum. Ponam arcum meum in nubibus, et erit signum fœderis quod facio vobiscum.

Quum obduxero nubes cœlo, arcus meus appailebit, et recordabor fœderis mei, nec unquam diluvium erit ad perdendum orbem terrarum.

15.

Corrupción del género humano

Omnes gentes propagatæ sunt à filiis Noemi. Semus incoluit Asiam; Chamus, Africam; Japhetus, Europam.

Pœna diluvii non deterruit homines à vitiis; sed brevi facti sunt pejores quam priùs.

Obliti sunt Dei creatoris; adorabant solem et lunam; nec verebantur parentes; dicebant mendacium; faciebant fraudem, furtum, homicidium; uno verbo, se contaminabant omnibus flagitiis.

16.

Vocación de Abraham: año del mundo 2083

Quidam tamen sancti viri coluerunt veram religionem et virtutem, inter quos fuit Abrahamus è genere Semi.

Deus fecit fœdus cum illo his verbis: Exi è domo paternâ, desere patriam, et pete regionem quam daturus sum posteris tuis. Augebo te prole numerosâ; eris pater multarum gentium, ac per te omnes orbis nationes erunt bonis cumulatae. Adspice cœlum; dinumera stellas si potes; tua progenies eas æquabit numero.

17.

Nacimiento de Isaac

Abrahamus jam senuerat et Sara ejus uxor erat sterilis.

Quibus tamen Deus promissit filium ex eis nasciturum.

Habebis, inquit, filium ex Sarâ conjuge tuâ.

Quod audiens Sara risit, nec statim adhibuit fidem promissis Dei, et idcirco reprehensa est à Deo.

Abrahamus autem credidit Deo pollicenti.

Et verè, uno post anno, filius natus est Abrahamo, qui vocavit eum Isaacum.

18.

Prepárase Abraham para inmolar a su hijo

Postquam Isaacus adolevit, Deus, tentans fidem Abrahami, dixit illi: Abrahame, tolle filium tuum

unicum quem amas, et inmola eum mihi in monte quem ostendam tibi.

Abrahamus non dubitavit parere Deo jubenti. Imposuit ligna Isaaco; ipse verò portabat ignem et gladium.

Quum iter facerent simul, Isaacus dixit patri: Mi pater, ecce ligna et ignis; sed ubinam est hostia immolanda? Cui Abrahamus: Deus, inquit, sibi providet hostiam, fili mi.

19.

Detiene Dios el brazo de Abraham

Ubi pervenerunt ambo in locum designatum, Abrahamus exstruxit aram, disposuit ligna, alligavit Isaacum super struem lignorum deinde arripuit gladium.

Tum angelus clamavit de cœlo: Abrahame, contine manum tuam; ne noceas puero. Jam fides tua mihi perspecta est, quum non peperceris filio tuo unico; et ego favebo tibi: remunerabo splendidè fidem tuam.

Abrahamus respexit, et vidi arietem hærentem cornibus inter vepres, quem immolavit loco filii.

20.

Eliezer, siervo de Abraham, va a buscar en Mesopotamia esposa para Isaac

Postea Abrahamus misit servum suum Eliezerem ad cognatos suos, qui erant in Mesopotamiâ ut inde adduceret uxorem filio suo Isaaco.

Eliezer sumpsit decem camelos domini sui, et profectus est, portans secum munera magnifica, quibus

donaret puellam destinatam Isaaco, et ejus parentes.

Ubi pervenit in Mesopotamiam, constitit cum camelis prope puteum aquæ ad vesperum, quo tempore mulieres solebant convenire ad hauriendam aquam.

21.

**Consulta Eliezer a Dios para conocer la esposa
predestinada a Isaac**

Eliezer oravit Deum his verbis: «Domine, Deus Abrahami, fac ut puella quæ dabit potum mihi penitenti, ea sit quam Isaaco destinasti.»

Ecce statim Rebecca, virgo eximiâ pulchritudine, prodiit, gerens urnam humeris, quæ descendit ad puteum, et implevit urnam.

Tunc Eliezer progressus obviam puellæ: Da, inquit, potum mihi. Cuius Rebecca: Bibe, ait, Domine mi; et simul demisit urnam.

Quum ille bibisset, Rebecca obtulit etiam aquam camelis. Hoc indicio cognovit Eliezer quod scire cupiebat.

22.

Pregunta Eliezer a Rebeca acerca de su familia

Eliezer protulit inaures aureas et armillas, quas dedit Rebecca. Tum interrogavit illam cujus esset filia, num in domo patris esset locus ad commorandum.

Cui Rebecca respondit: Ego sum filia Bathuelis. Avus meus est frater Abrahami. Est domi locus ad commorandum amplissimus; est etiam plurimum fœni et palarum ad usum camelorum.

Quod audiens Eliezer egit gratias Deo, qui tribuisset iter prosperum sibi.

23.

Es recibido Eliezer en casa de Bathuel, sobrino de Abraham

Rebecca properavit domum, et narravit matri suæ ea quæ contigerant.

Labanus, frater Rebeckæ, quum audivisset sororem narrantem, adiit hominem, qui stabat ad fontem cum camelis, et compellans eum: Ingredere, inquit, domine mi. Cur stas foris? Paravi hospitium tibi et locum camelis.

Deindeduxit eum domum, eique cibum apposuit.

24

Rebeca es concedida a Eliezer por esposa de Isaac

Continuò Eliezer exposuit parentibus Rebeckæ causam itineris suscepti, regavitque ut annuerent postulationi suæ.

Qui responderunt: Ita voluntas Dei fert; nec possumus Deo obsistere. En Rebeca; proficiscatur tecum, nuptura Isaaco.

Tum Eliezer deprompsit vasa aurea et argentea, vestesque pretiosas, quas dedit Rebeckæ; obtulit etiam munera matri ejus et fratri, et inierunt convivium.

25.

Partida de Rebeca

Postridie Eliezer surgens manè, dixit parentibus Rebeckæ: Herus meus me exspectat, dimittite me, ut redeam ad illum.

Qui responderunt: Vocemus puellam, et percontemur ejus sententiam.

Quum Rebecca venisset, sciscitati sunt an vellet discedere cum homine. Volo, inquit illa.

Dimiserunt ergo Rebeccam et nutricem illius, precentes ei omnia prospera.

26.

Casamiento de Isaac

Isaacus fortè tunc deambulabat rure; vidit camelos venientes. Simul Rebecca, conspicata virum deambulantem, desiluit è camelo, et interrogavit Eliezerem: Quis est ille vir?

Eliezer respondit: Ipse est herus meus. Illa statim operuit se pallio.

Eliezer narravit Isaaco omnia quæ fecerat.

Isaacus introduxit Rebeccam in tabernaculum matris suæ, et lenitus est dolor quem capiebat ex morte matris.

27.

Vende Esau su derecho de primogenitura a Jacob

Rebecca edidit uno partu duos filios, Esaum et Jacobum. Qui prior editus est, pilosus erat, alter verò lenis. Ille fuit venator strenuus, hic autem placidus et simplex moribus.

Quâdam die, quum Jacobus sibi paravisset pulmentum ex lentibus, venit Esau fessus de viâ, et dixit fratri: Da mihi hoc pulmentum, nam redeo rure exanimatus lassitudine.

Cui Jacobus: Dabo, si concedas mihi jus primogeniti.

Faciam libenter, inquit Esaus. Jura ergo, ait Jacobus.

Esau juravit, et vendidit jus suum.

28.

Isaac envia a cazar a Esau

Isaacus, qui delectabatur venatione, amabat Esauum; Jacobus verò erat carior Rebeccæ.

Quum Isaacus jam senuisset, et factus esset cæcus, vocavit Esauum. Sumito, inquit, pharetram, arcum et sagittas; affer mihi et para de venatione pulmentum ut comedam, et apprecer tibi fausta omnia, antequam moriar.

Esau itaque profectus est venatum.

29.

Aconseja Rebeca a Jacob que se anteponga a Esau

Rebecca audiêrat Isaacum loquentem. Vocavit Jacobum, et: Afferto, inquit, mihi duos hædos optimos: conficiam pulmentum, quo pater tuus valdè delectatur. Appones ei cibum, et bene precabitur tibi.

Jacobus respondit: Ego non ausim id facere, mater. Esauus est pilosus, ego sum lenis. Si pater me attrectaverit, succensebit mihi. Ita indignatio patris et damnum mihi evenient pro ejus benevolentia.

30.

Prepara Rebeca la comida de Isaac

Rebecca institit: No timeas, inquit, fili mi. Si quid adversi inde sequatur, id totum sumo mihi. Tu verò ne dubites facere quod jussus es.

Itaque Jacobus abiit, et attulit matri duos hædos. Illa paravit seni cibum quem noverat suavem esse palato ejus.

Deinde induit Jacobum vestibus fratris; aptavit pellem hædi manibus ejus et collo.

Tum: Adi, inquit, patrem tuum, et offer illi escam quam appetit.

31.

Bendice Isaac a Jacob, creyendo bendecir a Esau

Jacobus attulit patri suo escam paratam à matre.

Cui Isaacus dixit: Quisnam es tu? Jacobus respondit: *Ego sum Esaus primogenitus tuus. Feci quod jussisti, pater. Surge, et comede de venatione meâ.*

Quomodo, ait Isaacus, potuisti invenire tan citò? Inveni, pater; Deus ita voluit.

Isaacus rursus: Tune es Esaus primogenitus meus? Accede propius ut attrectem te.

Ille accessit ad patrem, qui dixit: Vox quidem est Jacobi, sed manus sunt Esai.

32.

Vuelve Esau y pide a Isaac la bendición

Isaacus, amplexatus Jacobum, anteposuit eum fratri, et tribuit illi omnia bona primogeniti.

Non multò pòst Esaus rediit à venatione, et ipse obtulit patri pulmentum quod paraverat.

Cui Isaacus mirans dixit: Quis est ergo ille qui modò attulit mihi cibum, et cui apprecattus sum omnia fausta, tanquam primogenito?

Quod audiens Esaus edidit magnum clamorem, et implevit doimur lamentis.

33.

Partida de Jacob

Esau, ardens irâ, minabatur mortem Jacobo.

Quare Rebecca mater timens dilecto filio suo: Fuge, inquit, fili mi. Abi ad Labanum avunculum tuum, et commorare apud eum. donec ira fratris tui defervescat.

Jacobus, dimissus à patre et matre, profectus est in Mesopotamiam.

Iter faciens, pervenit ad quemdam locum, ubi fessus de viâ pernoctavit; supposuit lapidem capiti suo, et obdormivit.

34.

Visión de Jacob

Jacobus vidit in somnis scalam, quæ innixa terræ, pertingebat ad cælum. atque angelos Dei adscendentes et descendentes. Audivit Dominum dicentem sibi. Ego sum Deus patris tui. Dabo tibi et posteris tuis terram cui incubas. Noli timere; ego favebo tibi: ero custos tuus quòcumque perrexeris, et reducam te in patriam, ac per te omnes orbis nationes erunt bonis cumulatae.

Jacobus expergefactus adoravit Dominum.

35.

Llega Jacob a Mesopotamia

Jacobus iter persecutus pervenit in Mesopotamiam. Vidit tres pecorum greges propter puteum

cubantes. Nam ex eo puteo greges solebant adaquari. Os putei claudebatur ingenti lapide.

Jacobus accessit illuc, et dixit pastoribus: Fratres, unde estis? Qui responderunt: Ex urbe Haran.

Quos interrogavit iterum: Nostisne Labanum? Dixerunt: Novimus.—Valetne?—Valet, inquit. Ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo.

36.

Es recibido Jacob amorosamente por Laban

Dum Jacobus loqueretur cum pastoribus, Rachel, filia Labani, venit cum pecore paterno; nam ipsa pascebat gregem.

Confestim Jacobus videns cognatam tuam, amovit lapidem ab ore putei. Ego sum, inquit, filius Rebeccæ: et apprecatûs est ei omnia facta.

Rachel festinans id nuntiavit patri suo, qui agnovit filium sororis suæ, deditque ei Rachelem in matrimonium.

37.

Vuelta de Jacob

Jacobus diù conmoratus est apud Labanum. Interea mirè auxit rem suam, et factus est dives.

Longo post tempore, admonitus à Deo, rediit in patriam suam.

Extimescebat iram fratris sui. Ut placaret animum ejus, præmisit ad eum nuntios, qui offerent ei munera.

Esau mitigatus occurrit obviam Jacobo adveniienti; insiliit in collum ejus, flensque osculatus est eum, nec quidquam illi nocuit.

38.

Infancia de Joseph

Jacobus habuit duodecim filios, inter quos erat Josephus. Hunc pater amabat præ cæteris, quia senex genuerat eum. Dederat illi togam textam è filis varii coloris.

Quam ob causam Josephus erat invisus suis fratribus, præsertim postquam narravisset eis duplex somnium, quo futura ejus magnitudo portendebatur.

Oderant illum tantopere, ut non possent eum eo amicè loqui.

39.

Sueños de Joseph

Hæc porrò erant Josephi somnia: «Ligabamus, inquit, simul manipulos in agro. Ecce manipulus meus surgebat et stabat rectus; vestri autem manipuli circumstantes venerabantur meum.

Postea vidi in somnis solem, lunam et undecim stellas adorantes me.»

Cui fratres responderunt: Quorsum spectant ista somnia? Num tu eris rex noster? Num subjiemur ditioni tuæ? Fratres igitur invidebant ei; at pater rem tacitus considerabat.

40.

Resuelven dar muerte a Joseph sus hermanos

Quâdam die, quum fratres Josephi pascere greges procul, ipse remanserat domi. Jacobus misit eum ad fratres, ut sciret quomodo se haberent.

Qui videntes Josephum venientem, consilium ceperunt illius occidendi. Ecce, inquebant, somniator venit. Occidamus illum et projiciamus in puteum. Dicemus patri: Fera devoravit Josephum. Tunc apparebit quid sua illi prosint somnia.

41.

Rubén, el primogénito de sus hermanos, intenta salvarle

Ruben, qui erat natu maximus, deterrabat fratres à tanto scelere.

«Nolite, inquebat, interficere puerum; est enim frater noster. Demittite eum potius in hanc foveam.»

Habebat in animo liberare Josephum ex eorum manibus, et illum extrahere è foveâ atque ad patrem reducere.

Reipsa his verbis deducti sunt ad mitius consilium.

42.

Venta de Joseph a unos mercaderes

Ubi Josephus pervenit ad fratres suos, detraxerunt ei togam quâ indutus erat, et detruserunt eum in foveam.

Deinde quum consedissent ad sumendum cibum, conspexerunt mercatores qui petebant Ægyptum cum camelis portantibus varia aromata.

Venit illis in mentem Josephum vendere illis mercatoribus.

Qui emerunt Josephum viginti nummis argenteis, eumque duxerunt in Ægyptum.

43.

**Los hermanos de Joseph envían a Jacob su túnica
ensangrentada**

Tunc fratres Josephi tinxerunt togam ejus in sanguine hædi quem occiderant, et miserunt eam ad patrem cum his verbis: Invenimus hanc togam; vide an toga filii tui sit.

Quam quum agnovisset, pater exclamavit: Toga filii mei est; fera pessima devoravit Josephum. Deinde scidit vestem, et induit cilicium.

Omnes liberi ejus convenerunt ut lenirent dolorem patris. Sed Jacobus noluit accipere consolationem, dixitque: Ego descendam mœrens cum filio meo in sepulcrum.

44.

Compra Putiphar a Joseph

Putiphar Ægyptius emit Josephum à mercatoribus. Deus autem favit Putiphari causâ Josephi: omnia ei prosperè succedebant.

Quam ob rem Josephus benignè habitus est ab hero, qui præfecit eum domui suæ.

Josephus ergo administrabat rem familiarem Putipharis: omnia fiebant ad nutum ejus, nec Putiphar ullius negotii curam gerebat.

45.

**Es acusado Joseph por la mujer de Putiphar
y encarcelado en virtud de esta acusación**

Josephus erat insigni et pulchrâ facie. Uxor Putipharis eum pelliciebat ad flagitium.

Josephus autem nolebat assentiri improbæ mulieri.

Quâdam die, mulier apprehendit oram pallii ejus; at Josephus reliquit pallium in manibus ejus, et fugit.

Mulier irata inclamavit servos, et Josephum accusavit apud virum, qui, nimium credulus, conjecit Josephum in carcerem.

46.

Sueños de dos oficiales del rey Pharaon

Erant in eodem carcere duo ministri regis Pharaonis: alter præerat pincernis, alter pistoribus.

Utrique obvenit divinitus somnium eâdem nocte.

Ad quos quum venisset Josephus mané, et animadvertisset eos tristiores solitò, interrogavit quænam esset mœstitiæ causa.

Qui responderunt: Obvenit nobis somnium, nec quisquam est qui illud nobis interpretetur.

Nonne, inquit Josephus, Dei solius est prænoscere res futuras? Narrate mihi somnia vestra.

47.

Explica Joseph el ensueño del gran copero

Tum prior sic exposuit Josepho somnium suum: «Vidi in quiete vitem in quâ erant tres palmites; ea paulatim protulit gemmas; deinde flores eruperunt, ac denique uvæ maturescebant.

Ego exprimebam uvas in scyphum Pharaonis, eique porrigebam.»

Esto bono animo, inquit Josephus; post tres dies

Pharao te restituet in gradum pristinum; te rogo ut memineris mei.

48.

Explica el ensueño del panadero mayor

Alter quoque narravit somnium suum Josepho: «Gestabam in capite tria canistra in quibus erant cibi quos pistorum solent conficere.

Ecce autem aves circumvolitabant, et cibos illos comedebant.»

Cui Josephus: Hæc est interpretatio istius somnii. Tria canistra sunt tres dies, quibus elapsis, Pharao te feriet securi, et affliget ad palum ubi aves pascuntur carne tuâ.

49.

Cumplimiento de los dos sueños

Die tertio, qui dies natalis Pharaonis erat, splendidum convivium parandum fuit.

Tunc rex meminuit ministrorum suorum, qui erant in carcere.

Restituit præfecto pincernarum munus suum; alterum verò securi percussum suspendit ad palum. Ita res somnium comprobavit.

Tamen præfectus pincernarum oblitus est Josephi, nec illius in se meriti recordatus est.

50.

Sueños del rey Pharaon

Post biennium rex ipse habuit somnium.

Videbatur sibi adstare Nilo flumini; et ecce emer-

gebant de flumine septem vaccæ pingues, quæ pascebantur in palude.

Deinde septem aliæ vaccæ macilentæ exierunt ex eodem flumine quæ devorarunt priores.

Pharao experrectus rursus dormivit, et alterum habuit somnium. Septem spicæ plenæ enascebantur in uno culmo, aliæque totidem exiles succrescebant, et spicas plenas consumebant.

51.

Da al rey noticia de Joseph el panadero

Ubi illuxit, Pharao perturbatus convocavit omnes conjectores Ægypti, et narravit illis somnium; at nemo poterat illud interpretari.

Tunc præfectus pincernarum dixit regi: Confiteor peccatum meum; quum ego et præfectus pistorum essemus in carcere, uterque somniavimus eâdem nocte.

Erat ibi puer hebræus, qui nobis sapienter interpretatus est somnia; res enim interpretationem comprobavit.

52.

Joseph explica el ensueño del rey

Rex arcessivit Josephum, eique narravit utrumque somnium. Tum Josephus Pharaoni: Duplex, inquit, somnium unam atque eandem rem significat.

Septem vaccæ pingues et septem spicæ plenæ sunt septem anni ubertatis mox venturæ; septem verò vaccæ macilentæ et septem spicæ exiles sunt totidem anni famis quæ ubertatem secutura est.

Itaque, rex, præfice toti Ægypto virum sapientem et industrium, qui partem frugum recondat in horreis publicis, servetque diligenter in subsidium fami secuturæ.

53.

Es nombrado Joseph intendente de todo Egipto

Regi placuit consilium. Quare dixit Josepho: Num quis est in Ægypto te sapientior? Nemo certè fungetur meliùs illo munere. En tibi trado curam regni mei.

Tum detraxit è manu suâ annulum, et Josephi digito inseruit; induit illum veste byssinâ, collo torquem aureum circumdedit, eumque in curru suo secundum collocavit.

Josephus erat triginta annos natus, quum summam potestatem à rege accepit.

54.

Acopia Joseph gran cantidad de granos, y véndelos después a los egipcios

Josephus perlustravit omnes Ægypti regiones, et per septem annos ubertatis congregavit maximam frumenti copiam.

Secuta est inopia septem annorum, et in orbe universo fames ingravescibat.

Tunc Ægyptii, quos premebat egestas, adierunt regem, postulantes cibum.

Quos Pharao remittebat ad Josephum. Hic autem aperuit horrea, et Ægyptiis frumenta vendidit.

55.

Envía Jacob sus hijos al Egipto, quedándose solo con Benjamín

Ex aliis quoque regionibus conveniebatur in Ægyptum ad emendam annonam.

Eâdem necessitate compulsus Jacobus misit illic filios suos.

Itaque profecti sunt fratres Josephi; sed pater retinuit domi natu minimum, qui vocabatur Benjaminus.

Timebat enim ne quid mali ei accideret in itinere.

Benjaminus ex eâdem matre natus erat quâ Josephus, ideoque ei longè carior erat quàm cæteri fratres.

56.

Aparenta Joseph el prenderlos como a espías

Decem fratres, ubi in conspectum Josephi venerunt, eum proni venerati sunt.

Agnovit eos Josephus, nec ipse est cognitus ab eis.

Noluit indicare statim quis esset, sed eos interrogavit tanquam alienos: Unde venistis, et quo consilio?

Qui responderunt: Profecti sumus è regione Chanaan ut emamus frumentum.

Non est ita, inquit Josephus; sed venistis huc animo hostili: vultis explorare nostras urbes et loca Ægypti parum munita.

At illi; minimè, inquam: nihil mali meditamur. Duodecim fratres sumus. Minimus retentus est domi à patre; alius verò non superest.

57.

**Detiene Joseph a Simeón hasta que le traigan
sus hermanos a Benjamín**

Illud Josephum angebat quòd Benjaminus cum cæteris non aderat.

Quare dixit eis: *Experiar an verum dixeritis. Ma-
neat unus ex vobis obses apud me, dum adducatur
huc frater vester minimus. Cæteri abite cum fru-
mento.*

Tunc cœperunt inter se dicere: *Meritò hæc pati-
mur. Crudeles fuimus in fratrem nostrum; nunc pœ-
nam hujus sceleris luimus.*

Putabant hæc verba non intelligi à Josepho, quia
per interpretem cum eis loquebatur.

Ipse autem avertit se parumper, et flevit.

58.

Los hermanos de Joseph vuelven a su padre

Josephus jussit fratrum saccos impleri tritico, et pecuniam quam attulerant reponi in ore saccorum; addidit insuper cibaria in viam.

Deinde dimisit eos, præter Simeonem, quem retinuit obsidem.

Itaque profecti sunt fratres Josephi; et quum venissent ad patrem, narraverunt ei omnia quæ sibi acciderant.

Quum aperuissent saccos, ut effunderent frumenta, mirantes repererunt pecuniam.

59.

Jacob se resiste a la partida de Benjamín

Jacobus, ut audivit Benjaminum arcessi à præfecto Ægypti, cum gemitu questus est.

«Orbum me liberis fecistis: Josephus mortuus est; Simeon raptus est in Ægypto; Benjaminum vultis abducere.»

«Hæc omnia mala in me recidunt. Non dimittam Benjaminum; nam, si quid ei adversi acciderit in viâ, non potero ei superstes vivere; sed dolore oppressus moriar.»

60.

Instanle vivamente sus hijos para que consienta en ello

Postquam consumpti sunt cibi quos attulerant, Jacobus dixit filiis suis: Proficiscimini iterum in Ægyptum, ut ematis cibos. Qui responderunt: Non possumus adire prefectum Ægypti sinè Benjamino; ipse enim jussit illum ad se adduci.

Cur, inquit pater, mentionem fecistis de fratre vestro minimo?

Ipsæ, inquit, nos interrogavit an pater viveret, an alium fratrem haberemus. Respondimus ad ea quæ sciscitabatur; non potuimus præscire eum diciturum esse: Adducite huc fratrem vestrum.

61.

Cede Jacob a los ruegos de sus hijos

Tunc Judas, unus è filiis Jacobi, dixit patri: «Committe mihi puerum; ego illum recipio in fidem meam:

ego servabo: ego reducam illum ad te; nisi fecero, hujus rei culpa in me residebit. Si voluisses eum statim dimittere, jam secundò huc rediissemus.» Tandem victus pater annuit: «Quoniam necesse est, inquit, proficiscatur Benjaminus vobiscum. Deferte viro munera et duplum pretium, no fortè errore factum sit ut vobis redderetur prior pecunia.»

62.

**Manda preparar Joseph un abundante convite
a sus hermanos**

Nuntiatum est Josepho eosdem viros advenisse, et cum eis parvulum fratrem.

Jussit Josephus eos introduci domum, et lautum parari convivium.

Illi porrò metuebant ne arguerentur de pecunia quam in saccis reperierant; quare purgaverunt se apud dispensatorem Josephi.

Jam semel, inquirunt, huc venimus. Reversi domum, invenimus pretium frumenti in saccis. Nescimus quonam casu id factum fuerit; sed eandem pecuniam reportavimus.

Quibus dispensator ait: Bono animo stote. Deinde adduxit ad illos Simeonem qui retentus fuerat.

63.

Son admitidos a la audiencia de Joseph

Deinde Josephus ingresus est in conclave, ubi sui eum fratres exspectabant, qui eum venerati sunt offerentes munera.

Josephus eos clementer salutavit, interrogavitque:

Salvusne est senex ille quem vos patrem habetis?
Vivitne adhuc?

Qui responderunt: Salvus est pater noster; adhuc
vivit.

Josephus autem, coniectis in Benjaminum oculis,
dixit: Iste est frater vester minimus, qui domi reman-
serat apud patrem? Et rursus: Deus sit tibi propi-
tius, fili mi; et abiit festinans, quia commotus erat
animo, et lacrymæ erumpebant.

64.

**Hace Joseph introducir su copa de plata en el saco
de Benjamín**

Josephus, lotâ facie, regressus, continuit se, et
jussit apponi cibos. Tum distribuit escam unicuique
fratrum suorum; sed pars Benjamini erat quintuplo
major quàm cæterorum. Peracto convivio, Josephus
dat negotium dispensatori, ut saccos eorum impleat
frumento, pecuniam simul reponat, et insuper scy-
phum suum argenteum in sacco Benjamini recondat.

Ille fecit diligenter quod jussus fuerat.

65.

Manda Joseph que los persigan

Fratres Josephi sese in viam dederant, necdum
procul ab urbe aberant.

Tunc Josephus vocavit dispensatorem domûs suæ,
eique dixit: Persequere viros, et quum eos assecutus
fueris, illis dicito: Quare injuriam pro beneficio re-
pendistis?

Subripuistis scyphum argenteum quo dominus
meus utitur; improbè fecistis.

Dispensator mandata Josephi perfecit: ad eos confestim advolavit; furtum exprobavit; rei indignitatem exposuit.

66.

Encuentran la copa en el saco de Benjamín

Fratres Josephi responderunt dispensatori: Istud sceleris longè à nobis alienum est. Nos, ut tutè scis, retulimus bonâ fide pecuniam repertam in saccis. Tantùm abest ut furatî simus scyphum domini tui. Apud quem furtum deprehensum fuerit, is morte mulctetur.

Continuò deponunt saccos et aperiunt. Quos ille scrutatus invenit scyphum in sacco Benjaminî.

67.

Vuelven a la ciudad llenos de tristeza

Tunc fratres Josephi, mœrore oppressi, reventuntur in urbem.

Adducti ad Josephum, sese adjecerunt ad pedes illius. Quibus ille: Quomodo, inquit, potuistis hoc scelus admittere?

Judas respondit: Fateor, res est manifesta, nullam possemus excusationem afferre: nec audemus petere veniam aut sperare; nos omnes erimus servi tui.

Nequaquam, ait Josephus; sed ille apud quem inventus est scyphus, erit mihi servus; vos autem abite liberi ad patrem vestrum.

68.

Ofrécese Judas por esclavo, en lugar de Benjamín

Tunc Judas accedens propiùs ad Josephum: Te oro, inquit, domine mi, ut bonâ cum veniâ me audias. Pater unicè diligit puerum. Nolebat primò eum dimittere. Non potui id ab eo impetrare, nisi postquam sponendi eum tutum ab omni periculo fore. Si redierimus ad patren sinè puero, ille, mœrore confectus, morietur.

Te oro atque obsecro, ut sinas puerum abire, meque pro eo addicas in servitutum. Ego pœnam, qua dignus est, mihi sumo et exsolvam.

69.

Descúbrese Joseph a sus hermanos

Interea Josephus continere se vix poterat; quare jussit Ægyptios adstantes recedere.

Tum flens dixit magnâ voce: Ego sum Josephus. Vivitne adhuc pater meus?

Non poterant respondere fratres ejus nimio timore perturbati.

Quibus ille amiçè: Accedite, inquit, ad me. Ego sum Josephus, frater vester, quem vendidistis mercatoribus euntibus in Ægyptum. Nolite timere: Dei providentiâ id factum est, ut ego saluti vestræ consulerem.

70.

Encárgales que traigan a su padre al Egipto

Josephus hæc locutus, fratrem suum Benjaminum complexus est, eumque lacrymís conspersit.

Deinde cæteros quoquè fratres collacrymans osculatus est. Tum demum illi cum eo fidenter locuti sunt.

Quibus Josephus: Ite, inquit, properate ad patrem meum, eique nuntiate filium suum vivere, et apud Pharaonem plurimùm posse. Persuadete illi ut in Ægyptum cum omni familiâ commigret.

71.

Envía Pharaon presentes y carros a Jacob

Fama de adventu fratrum Josephi ad aures regis pervenit; qui dedit eis munera perferenda ad patrem cum his mandatis: Adducite huc patrem vestrum et omnem ejus familiam, nec multùm curate supellectilem vestram, quia omnia quæ opus erunt vobis præbiturus sum, et omnes opes Ægypti vestræ erunt.

Misit quoquè currus ad vehendum senem, et parvulos et mulieres.

72.

**Anuncian los hermanos de Joseph a su padre que
aquél está vivo**

Fratres Josephi festinantes reversi sunt ad patrem suum, eique nuntiaverunt Josephum vivere, et principem esse totius Ægypti.

Ad quem nuntium Jacobus, quasi è gravi comno excitatus, obstupuit, nec primùm filiis rem narrantibus fidem adhibebat. Sed, postquam vidit plaustra et dona sibi á Josepho missa, recepit animum; et mihi satis est, inquit, si vivit adhuc Josephus meus. Ibo, et videbo eum antequam moriar.

73.

Dirigese Jacob a Egipto con toda su familia

Jacobus, profectus cum filiis et nepotibus, pervenit in Ægyptum, et præmisit Judam ad Josephum, ut eum faceret certiozem de adventu suo.

Confestim Josephus processit obviam patri. Quem ut vidit, in collum ejus insiliit, et flens flentem complexus est.

Tum Jacobus: Satis diu vixi, inquit; nunc æquo animo moriar, quoniam conspectu tuo frui mihi licuit, et te mihi superstitem relinquo.

74.

Joseph anuncia al rey la llegada de su padre

Josephus adiit Pharaonem, eique nuntiavit patrem suum advenisse; constituit etiam quinque è fratribus suis coram rege.

Qui eos interrogavit quidnam operis haberent. Illi responderunt se esse pastores.

Tum rex dixit Josepho: Ægyptus in potestate tuâ est. Cura ut pater et fratres tui in optimo loco habitent; et, si qui sint inter eos gnavi et industrii, trade eis curam pecorum meorum.

75.

Presenta Joseph su padre a Pharaon

Josephus adduxit quoque patrem suum ad Pharaonem, qui, salutatus à Jacobo, percontatus est ab eo quâ esset ætate.

Jacobus respondit regi: Vixi centum et triginta annos, nec adeptus sum senectutem beatam avorum meorum. Tum, bene precatus regi, discessit ab eo.

Josephus autem patrem et fratres suos collocavit in optimâ parte Ægypti, eisque omnium rerum abundantiam suppeditavit.

76.

Pide Jacob ser enterrado en la tumba de sus padres

Jacobus vixit septem et decem annos, postquam commigrâsset in Ægyptum.

Ubi sensit mortem sibi imminere, arcessito Josepho dixit: Si me amas, jura te id facturum esse quod à te petam, scilicet ut ne me sepelias in Ægypto, sed corpus meum transferas ex hac regione, et condas in sepulchro majorum meorum.

Josephus autem, Faciam, inquit, quod jubes, pater.

Jura ergo mihi, ait Jacobus, te certò id facturum esse.

Josephus juravit in verba patris.

77.

Presenta Joseph a Jacob sus dos hijos para que los bendiga

Josephus adduxit ad patrem duos filios suos, Manassem et Ephraimum. Posuit Manassem, qui natu major erat, ad dextram senis, Ephraimum verò minorem, ad sinistram ejus.

At Jacobus decussans manus, dextram imposuit Ephraimo, sinistram autem Manassi, et utrique simul bene precatus est.

Quod Josephus animadvertens ægre tulit, et conatus est manus patris commutare.

At pater restitit, dixitque Josepho: Scio, fili mi, scio hunc esse majorem natu, et illum minorem; di prudens feci.

Ita Jacobus Ephraimum Manassi anteposuit.

78.

Tributa Joseph a su padre los últimos honores

Ut vidit Josephus extinctum patrem, ruit super eum flens, et osculatus est eum, luxitque illum diù.

Deinde præcepit medicis ut condirent corpus; et ipse cum fratribus multisque Ægyptiis patrem deportavit in regionem Chanaam.

Ibi funus fecerunt cum magno planctu, et sepe-
lierunt corpus in speluncâ ubi jacebant Abrahamus et Isaacus; reversique sunt in Ægyptum.

79.

Consuela a sus hermanos

Post mortem patris, timebant fratres Josephi ne ulcisceretur injuriam quam acceperat. Miserunt igitur ad illum rogantes nomine patris, ut eam oblivisceretur, sibi que condonaret.

Quibus Josephus respondit. Non est quod timeatis. Vos quidem malo in me animo fecistis, sed Deus convertit illud in bonum; ego vos aham et familias vestras. Consolatus est eos plurimis verbis, et leniter cum illis locutus est.

Muerte de Joseph

Josephus vixit annos centum et decem; quumque esset morti proximus, convocavit fratres suos, et illos admonuit se brevi moriturum esse.

Ego, inquit, jam morior. Deus vos non deseret, sed erit vobis præsidio; et deducet vos aliquando ex Ægypto in regionem quam patribus nostri promisit. Oro vos atque obtestos ut illuc ossa mea deportetis.

Deinde placidè obiit. Corpus ejus conditum est, et in feretro positum.

SENTENCIAS

Pars melior nostri est animus. (Cicero).

Numen divinum est fons lúminis sicut et bonitatis.

Nemo est expers beneficiorum cælestium. (Séneca).

Tria sunt colenda juvenibus, Deus, parentes, leges.

Puras Deus, non plenas, ascipit manus. (Publius Syr).

Ex operibus ejus Deum agnoscimus. (Cicero).

Mundus administratur providentia Dei. (Cicero).

Pietas et sánctitas efficiet Deum placatum. (Cic.).

Deus est colendus magis pie, quam magnifice. (Cic.).

Deus habet locum nullum in terra gratiorem ánima pura. (Séneca).

Dilige Deum plus quam animam. (Plato).

Si non diligis Deum non ibis ad Deum. (Plato).

Non amabis Deum, nisi habueris in te aliquid simile Dei.

Mens bona et inventio artium veniunt á Deo. (Plato).

Virtus non advenit á natura, neque á doctrina, sed á divino númerine. (Plato).

Natura non dat virtutem. (Plato).

Nemo vir bonus est sine Deo. (Séneca).

Deus omnia cernit. (Séneca).

Plus viva vox et convictus sapientum proderunt, quam libri. (Ciceron).

Natura nos cognatos edidit. (Ciceron).

Ipsa peccandi voluntas peccatum est. (Ciceron).

Vir probus, aut improbus, non ex operibus tantum, sed etiam ex voluntate spectatur (Democritus).

Maledicus á malefico non distat, nisi occasione. (Quint.).

Qui injuste agit, impie agit. (Marcus Antonius).

Veritatis sermo est simplex. (Séneca).

Veritas vel mendacio corrumpitur, vel silentio. (Am.).

Inhumānum verbum est ultio. (Ammianus).

Nulla modo injuria facienda est. (Ammianus).

Fundamentum est omnium virtutum pietas in parentes.

Et præceptores et studia amet adolescens. (Cicero).

Magna sit inter fratres concordia. (Cicero).

In amicis eligendis negligentes ne simus. (Cicero).

Amicus amicum non minus diligat, quam seipsum.

Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris.

Veritas et fides in amicitia retineantur. (Cicero).

Omnia possidentibus sæpe amicus deest. (Cicero).

Parvo contentus sapiens, paupertatem non timet. (Séneca).

Levius fit patientia quicquid corrigere est nefas. (Horat).

Quanto superiores sumus, tanto nos submissius geramus. (Cicero).

Sapientem nec secunda evehunt, nec adversa demittunt. (Séneca).

Vir bonus non tantum Dei discipulus et æmulator est, sed etiam vera progenies. (Séneca).

Ratione duce per totam vitam eundem est; minima maximaque ex hujus consilio gerenda sunt. (Séneca).

Bonæ valetudinis mater est frugalitas. (Séneca).

Omne vitium ebrietas et incendit et detegit. (Séneca).

Adolescentia in labore et patientia est exercenda. (Séneca).

Plura audiamus, loquamur pauca. (Séneca).

In ludo ac joco modus retinendus. (Séneca).

De eligendo genere vitæ deliberatio est omnium difficillima. (Cicero).

Difficile dictu est, quantopere conciliat animos hominum comitas affabilitasque sermonis. (Cicero).

Cives magistratibus pareant, magistratus legibus. (Cicero).

Agens injuste nequaquam latebis, et ne cogitans quidem. (Sexti).

Prima officia debentur Deo, secunda patræ, tertia parentibus, deinceps gradatim reliquis. (Cicero).

Homines adeant caste ad Deum, adhibeant pietatem, amoveant opes. (Cicero).

Vis propitiare Deum? Esto bonus. (Séneca).

Cultus primus Dei est, credere Deum. (Séneca).

Si pietas adsit, nihil non potest esse gratum Deo.

Homo efficitur Deo similis prudentiâ, justitiâ, sanctitate.

Consensus populorum omnium probat Deum esse.

Animal nullum est, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. (Cicero).

¿Quis est tam vecors, qui cum suspexerit in cælum, non sentiat Deum esse? (Cicero).

¿Quòmodo possumus intelligere Deum, nisi sempiternum? (Cicero).

Nihil est quod Deus non possit efficere, et quidem sine labore ullo. (Cicero).

Quidquid boni egeris, puta acceptum esse á Deo. (Séneca).

Potes aliquis nocens fieri, quamvis non nocuerit.
(Séneca).

Bonus est, non qui injuriam facit, sed qui ne vult
quidem.

Qui solo metu á peccato abstinet, non est innocens.
Oderunt peccare boni virtutis amore.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Ea sola uilia, quæ justa et honesta.

Qui adipisci veram gloriam volet, justitiæ funga-
tur officio. (Cicero).

Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

Malus, bonum ubi se simulat, tunc est pessimus. (L.)

Improbi hominis est mendacio fallere. (Cicero).

In virum bonum non cadit mentiri emolumenti sui
causâ. (Cicero):

Qui mentitur, fallit quantum in se est. Vir bonus
præestare debet ne mentiatur. (A. Gell).

Assuesce dicere verum, et audire. (Séneca).

Yeteres romani, accepta injuriâ, malebant ignos-
cere, quam persequi. (Sallustius).

Ignoscito sæpe alteri, numquam tibi. (Syrus).

Beneficia beneficiis repensare honestum est, non
autem injurias. (Séneca).

Justitiâ hostes vincere gloriosius est, quam ar-
mis. (S.).

Dulce et decorum est pro patria mori. (Horatius).

Ut parentum, sic patriæ sævitia, patiendo, ac fe-
rendo lenienda est. (Livius).

Quisquis in vita sua parentes colit, hic et vivus et
defunctus Deo carus est. (Stobæus).

Ad filium hereditas paternæ gloriæ et factorum
imitatio pertinet. (Cicero).

Publicæ utilitati plurimum prosunt qui juventu-
tem erudiunt. (Cicero)

Nisi in bonis amicitia esse non potest. (Cicero).

Virtus amicitiam gignit et continet, nec sine virtute esse amicitia ullo pacto potest. (Cicero).

Amicos, quantum fieri poterit, vacuos à cupiditatibus eligemus. (Cicero).

Res turpes amicum non rogemus, nec faciamus rogati.

Admoneri bonus gaudet, pessimus quisque correptorem asperrime patitur. (Séneca).

Veros amicos reperire difficile est. (Séneca).

Amicos res opimæ pariunt, adversæ probant. (Syrus).

Nemo parum diu vixit, qui virtutis functus est munere.

Minimis rebus exasperari insania est.

Disce parvo esse contentus. (Séneca).

Adhibenda est munditia non exquisita nimis; sicut fugienda agrestis negligentia. (Cicero).

Est adolescentis majores natu vereri. (Cicero).

Si cupis bene audire, disce bene dicere, et recte agere: sic enim perfrueris bona fama. (Stobæus).

Debemus disputare verecundè de Dei naturâ, ne aliquid temere affirmemus. (Lamblicus).

Vir bonus est summæ pietatis erga Deum; itaque sustinet animo æquo quidquid acciderit ei. Scit enim id accidisse lege divina, quâ univèrsa reguntur. (Cicero).

Pietate adversus Deum sublata, fides etiam, et societas humani generis, et excellentissima virtus justitia tollitur. (Cicero).

Ille honorat Deum optimè, qui facit mentem suam similem Deo, quantum potest fieri. (Sexti).

Tu sic vive cum hominibus, tamquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant. (—).

Qui maxime perspicit quid in re quaque verissimum sit, is prudentissimus haberi solet. (Cicero).

Ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest; sic sine doctrina animus. (Cicero).

Si tempus in studia conferas, omne vitæ fastidium effugeris, nec noctem fieri optabis tædio lucis, nec tibi gravis eris, nec aliis supervacuus. (Séneca).

Videmus litteras et ingenuas artes non solum beatæ vitæ oblectationem esse, sed etiam levamentum miseriarum. (Cicero).

Qui plurima comedunt, non melius valent, quam qui sumunt necessaria; sic eruditi habendi sunt, non qui plurima legerunt aut dixerunt, sed qui utilia.

Pueri legant et discant non modo quæ diserta sunt, sed magis quæ honesta. (Quintiliano).

Maxima et una memoriæ augendæ ars exercitatio est et labor. (Quintiliano).

Justitia est omnium domina et regina virtutum; ejus splendor maximus, ex ea boni viri vulgo justi appellantur. (Cicero).

Injustissimum est, justitiæ mercedem quærere. (C.).

Non solum natura, sed etiam legibus populorum constitutum est, ut non liceat sui commodi causâ nocere alteri. (Cicero).

Facillime ad res injustas impellitur cujus est animo principatûs et gloriæ nimia cupido. (Cicero).

Nihil honestum et gloriosum esse potest, quod justitiâ vacat; et nemo gloriam injustitiâ et immanitate est consecutus. (Cicero).

Nihil est tam volucre quam maledictum, nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur.

Cæca invidia est, nec quidquam aliud scit, quam detrectare virtutes. (—).

¿Quid est quod maxime elaborare debemus? ut mens sit justa, oratio mendacii expers. (M. Ant.).

Hoc viri boni proprium est, nihil à veritate alienum loqui, ut et nihil à justitia alienum exequi. (M. Ant.).

Hoc consequuntur mendaces, ut cum vera dixerint, non illis credatur. (Diógenes Laertio).

Ea charitas, quæ est inter natos et parentes dirimi, nisi detestabili scelere, non potest. (Cicero).

Facile intelligo liberos non modo reticere parentum injurias, sed etiam æquo animo ferre, oportere.

Omnes homines palam prædicant primum Deo, deinde parentibus, honorem deberi natura et legibus.

¿An ille plus præstat, qui inter cives jus dicit; quam qui docet juventutem quid sit justitia, quid pietas, quid patientia, quid fortitudo, quam pretiosum bonum sit bona conscientia?

¿Quod enim munus reipublicæ majus meliusve afferre possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem?

Discipuli, si modo sunt bene instituti, præceptorem amant et verentur. (Quintilianus).

Id præcipue monendi sunt adolescentes, ut ament præceptores suos non minus quam ipsa studia; et existiment eos parentes esse, non quidem corporum, sed mentium. (Quintil.).

Ea maxime cura habenda est, ut præceptor omnino fiat nobis familiariter amicus. (Quint.).

Quis amicior est, quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? (Salustius).

Quæ videntur utilia, honores, divitiæ, voluptates, et cætera generis ejusdem, næc numquam amicitiae antepōnenda sunt. (Cicero).

Neminem tam alte supra cæteros fortuna extulit, ut non illi aliquid desit. (Séneca).

Imperare sibi maximum imperium est.

Stultum est imperare cæteris, qui nescit sibi.

Quid præcipuum in rebus humanis est? Vitia domuisse. Haec nulla est major victoria.

Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum. (S.).

Angusti animi est amare divitias, magni contemnere.

Homines admirantur eum qui pecunia non movetur, et illum quasi igni probatum arbitrantur. (Cicero).

Viri inter græcos præstantissimi, per vitam omnem in summa paupertate versatis sunt, nec eorum virtus pecunia potuit expugnari.

Majora sunt famæ damna, quæ æstimari possint.

TROZOS

DE LA

HISTORIA DE GRECIA

1.

Antigüedad de los griegos.—La Grecia es conquistada por una colonia egipcia

Origo Græcorum est antiqua et nobilis.

Anno circiter millesimo noningentesimo nonagesimo post orbem conditum, colonia ægyptiaca occupavit Græciam.

Saturnus et Jupiter habentur duces illius coloniæ.

Deinde novi advenæ collocavere sedem in hac regione.

Primum aliquot oppida ab illis constituta fuerunt.

Inde Athenæ, Argos, Sparta, Thebæ suam duxerunt originem.

Civitates illæ fruerunt celeberrimæ; Athenæ vero inter ceteras eminuerunt.

2.

Atenas es gobernada desde su origen por reyes

Athenæ primum regem habuere Cecropem, qui credebatur instituisse matrimonium.

Huic successit Cranaus, cujus filia, nomine Ahtis, nomen dedit regioni.

Post hunc Amphictyon regnavit.

Qui primus sacravit urbem Minervæ, et nomen Athenas, dedit civitati.

Dum ille regnaret, illuvies aquarum absumsit fere omnes incolas Græciæ.

Amphictyone mortuo, regnum Erechtheo obtigit, tuncque satio frumenti reperta est apud Eleusin á Triptolemo.

Ægeus, Thesei pater, tenuit quoque regnum Athenis.

Post Ægeum Theseus, et deinceps filius Thesei Demophon, potiti sunt imperio.

3.

Codro, rey de Atenas.—Su abnegación patriótica

Illis temporibus, bellum grave exortum est inter Athenienses et Dorienses.

Hi consuluerunt oracula de eventu prælii.

Responsum est ipsos fore superiores, nisi regem Atheniensium occiderent.

Quo audito, priusquam pugna committeretur, præceperunt imprimis militibus, ne regem Atheniensium occiderent.

Tunc Codrus Atheniensibus rex erat.

Qui responsum oraculi et præcepta hostium cognovit.

Ille igitur vestem regiam exuit, pannosusque in castra hostium ingreditur.

Brevi interficitur ibi a milite quem falce astu convulneraverat.

Dorienses autem, regis morte cognita, discesserunt sine prælio.

Atque ita Athenienses a generoso duce bello liberati fuerunt.

4.

Cambio del gobierno de Atenas.—Solón

Post Codrum nemo Athenis regnavit.

Administratio reipublicæ annuis magistratibus permisa fuit.

Sed nullæ tunc leges erant civitati.

Livido enim regum pro legibus habebatur.

His autem temporibus, vir, nomine Solon, justitia florebat; electus est igitur ut civitatem legibus conderet.

Ille sic egit cum plebe et senatu, ut utrique placuerit.

Quidquid enim instituisset pro altero ordine, alteri displicisset.

Egregiis hujus viri institutis diu floruit Atheniensium respublica.

5.

Ley de Atenas respecto a la isla de Salamina

Inter multa ab illo egregie facta, illud memorabile fuit.

Bellum motum fuerat inter Athenienses et Megarenses, de proprietate Salaminæ insulæ.

Ea de re armis decertaverant usque ad interitum.

Post multas clades, Athenienses hoc decretum sanxerant: *Si quis legem de Salamina insulat tulerit, capitali pœna afficitur.*

Solon autem censebat hanc insulam armis esse recipiendam.

Verum timebat Atheniensium invidiam, si sententiam proferret.

Verebatur quoque, ne tacendo parum reipublicæ consuleret.

6.

Conducta de Solón en esta circunstancia

Subitam igitur dementiam Solon simulavit, ut posset non modo dicere, sed etiam facere prohibita.

Deinde, more vecordium, in forum properavit.

Facto tunc omnium concursu, insolitos sibi versus cœpit canere, consilii dissimulandi causa.

Deinde sensim suasit populo id quod vetabatur, brevique movit omnium animos.

Extemplo itaque bellum adversus Megarenses decretum fuit.

Mox devicti sunt hostes, et insula Salamina Atheniensium facta est.

7.

Apodérase Pisistrato del gobierno

Pisisfratus, dux Atheniensium, profligatis iterum Megarensibus, tyrannidem occupare per dolum statuit.

Voluntariis vulneribus lacerat corpus domi, et in publicum progreditur.

Advocata concione, vulnera populo ostendit.

De crudelitate principum queritur; verbis addit lacrymas, et invidiosa oratione multitudinem credulam accendit.

Affirmat se esse invisum senatui, ob amorem plebis.

Obtinet igitur ad custodiam corporis sui satellites.
Denique, sic occupata tyrannide, per tres et tri-
ginta annos regnavit.

8.

Fin de la tiranía

Post mortem Pisistrati, Diocles, alter ex ejus filiis,
imperium paternum tenuit.

At brevi ob scelus infandum interfectus est.

Alter filius, Hippias nomine, summam in cives
crudelitatem exercuit.

Tunc civitas, servitutis pertæsa, pristinam liber-
tatem recuperare statuit.

Pulsus itaque regno Hippias, in exsilium actus est.

Qui, profectus in Persas, aulam Darii regis petit.

Ille princeps Atheniensibus modo bellum denun-
tiaverat.

Hippias igitur se belli ducem Dario adversus pa-
triam suam obtulit.

9.

Batalla de Maratón

Ubi Athenienses audierunt Darii adventum, brevi
tempore contraxerunt exercitum.

Cum decem millibus civium et Platænsibus mille
auxiliaribus, adversus sexcenta millia hostium pro-
cesserunt.

In campis Marathoniiis, Miltiade duce, castra cas-
tris Persarum contulerunt.

Magna cunctibus in pugnam alacritas animorum
fuit, nec eventus audaciæ defuit.

Victi Persæ in naves confugerunt, ex quibus multæ suppressæ, multæ captæ sunt.

In eo prælio virtus singulorum apparuit; inter ceteros tamen Themistocles adolescens laude singulari eminuit.

10.

Rasgo de valor de un soldado ateniense.—Pérdida de los enemigos.—Muerte de Hippias

Cinægiri quoque, militis atheniensis, gloria magnis laudibus celebrata est.

Ille enim, quum fugientes hostes ad naves egisset, unam ex eorum navibus dextera manu tenuit, nec prius dimisit, quam manum amitteret.

Tum quoque, amputata dextra, navem sinistra comprehendit.

Quam etiam quum amisisset, postremum morsu navem detinuit, sicque truncus dentibus dimicavit.

Ducenta millia Persarum eo prælio, vel ferro vel naufragio interierunt.

Cecidit et Hippias, tyrannus atheniensis, auctor et concitor ejus nefarii belli; hasque dii patriæ ultores pbenas ab illo repetierunt.

11.

Muerte de Darío.—Xerxes, su sucesor, continúa la guerra

Interea Darius, quum bellum instauraret, in ipso apparatu decessit.

Xerxes bellum a patre cœptum adversus Græciam persecutus est.

Septingenta millia hominum de regno armavit et trecenta millia de auxiliis.

Græcia igitur omnem vix capere ejus exercitum poterat.

Naves quoque mille et ducentas numero habuisse dicitur.

Huic tanto agmini dux egregius defuit.

Xerxes enim, inani licet superbia tumens, in periculis timidus erat.

Et quidem primus, in fuga, postremus in prælio semper visus est.

12.

Leónidas, rey de Esparta, sale al encuentro de Xerxes.

Su valor y heroísmo

Adventante Persarum exercitu, Lacedæmonii oraculum Apollinis consuluerunt.

Sic autem illis responsum fuerat: si minus rex Spartanorum intereat, civitas peribit.

Idcirco rex Leonidas in bellum proficiscens, suorum animos hortando firmaverat.

Angustias etiam Thermopylarum cum quatuor millibus militum occupaverat.

Sic enim secum cogitaverat: Cum paucis aut majori vincam gloria, aut minori reipublicæ damno victus cadam.

Nihil erat difficile persuadere militibus qui amore patriæ flagrabant.

Cuncti igitur, parato ad moriendum animo, in prælium ibant.

13.

Combate de las Thermópilas

Xerxes, aspernatus hostium paucitatem, ad pugnam misit eos quorum cognati marathónico prælio interfecti fuerant.

Illi dum ulcisci suos quærunt, fuere cladis principium.

Succedente deinde inutili turba, major cædes editur.

Triduo ibi strenue dimicatum est; ita tamen ut dolor et indignatio Persarum animos accenderent.

Quarta die, quum hostes summum cacumen tenerent, Leonidas iterum hortatus est suos.

Monuit illos, ut patriæ magis quam sibi consularent, et in castra hostium irruerent.

14.

Atacan los Espartanos el campo de los Persas.

Su honrosa muerte

Spartani, audito sui regis consilio, statim arma capiunt, castraque Persarum irrumpunt.

Tumultus ingens totis castris oritur, Spartanique victores quocumque vagantur.

Cædunt sternuntque omnia; pugnant enim non spe victoriæ, sed in mortis ultionem.

Prælium a principio noctis in majorem partem diei tractum fuit.

Postremo illi, non victi, sed vicendo fatigati, inter ingentes stratorum hostium catervas occiderunt.

Xerxes, terrestri prælio bis victus, experiri maris fortunam statuit.

15.

**Manda Xerxes saquear el templo de Delfos, e incendia
muchas ciudades de Grecia**

Ante navalis prælii congressionem, miserat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos, ad templum Apollinis diripiendum.

Non igitur cum Græcis solum, sed etiam cum diis immortalibus bellum gerebat.

Illi vero quos miserat, imbris et fulminibus delati sunt.

Inde colligere debuit, quam nullæ essent hominum adversus deos vires.

Post hæc, furore amens, Thespias, Platæas et Athenas incendit.

Quæ quidem urbes tunc vacuæ civibus erant.

16.

**Respuesta del Oráculo de Delfos a los Atenienses.
Abandonan su ciudad**

Quum Xerxes adventaret, Athenienses miserunt Delphos consultum oraculum Apollinis.

Pychia respondit, ut salutem muris ligneis tuerentur.

Themistocles persuavit civibus Apollinis consilium esse, ut se suaque in naves conferrent.

«Per muros enim ligneos, inquiebat, deus naves significat.»

Probato tali consilio, conjuges liberosque cum pretiosissimis rebus in insulas abditas demandant.

Ipsi urbem relinquunt, navesque armati conscendunt.

Exemplum Atheniensium aliæ etiam urbes imitæ fuerunt.

17.

Disensión entre los aliados.—Artificio de Themistocles

Quum adunata fuit omnis sociorum classis, Themistocles angustias freti salaminii occupavit.

Sic enim egit, ne circumveniri a multitudine hostium posset.

At dissensio inter civitatum principes orta est, singulique deserere societatem et in suam regionem abire volebant.

Tunc Themistocles, timens ne vires discessu sociorum minuerentur, servum fidum Xerxi misit cum his verbis: «O Rex! Græcia uno in loco contracta capi facillime potes; multi autem ex præfectis classis volunt nunc abire; si exspectes, dum discesserint, singulos majori labore debellabis.»

Hoc dolo impulit Xerxem ad pugnam protinus rapessendam.

18.

Combate naval junto a Salamina.—Nueva derrota de los Persas

Xerxes igitur signum pugnae dedit, Græcique conjunctis viribus prælium iniere.

Interea rex, spectator pugnae, cum parte navium in maris littore remansit.

Artemisia autem, regina Halicarnassi, quæ in au-

xilium Xerxi venerat, inter primos duces acerrime pugnabat.

Fertissima enim illa mulier virilem audaciam præ se ferebat.

Persæ tamen, iterum pulsæ victique, in fugam vertuntur.

Qua in trepidatione multæ captæ naves, multæ mersæ fuerunt plures autem domum reversæ sunt.

19.

Consejo de Mardonio a Xerxes

Hæc clade percussus Xerxes, bubius erat consilii.

Tunc Mardonius, unos é ducibus Persarum, eum sic compellavit: «O rex! fama adversi hujus belli aliquam seditionem in Perside poterit movere; itaque tuum in regnum abi; mihi interea trecenta millia armatorum lecta relinque; si Græciam perdimuero, plurima ad te gloria; sin aliter res cesserit, nulla deveniet infamia.»

Probato consilio, Mardonius exercitui præficitur.

Rex autem ipse reliquas copias in regnum reducere paravit.

20.

Intentan los Griegos quitar a Xerxes todo medio de fuga

Græci vero vix audierunt regis fugam, quum consilium inierunt pontis interrumpendi, quem ille Abydi fecerat.

Sic enim intercluso reditu, aut cum exercitu illum delere, aut ad pacem petendam cogere decreverant.

Sed Themistocles, verens ne interclusi hostes in desperationem venirent, suasit Græcis ne id agerent.

Quum autem non posset illos de setentia dimovere, eundem servum misit, qui Xersem hujus consilii certiozem faceret et maturare fugam juberet.

Ille, percussus nuntio, tradidit ducibus suis milites perducendos, et ipse cum paucis Abydum contendit.

21.

**Xerxes se ve obligado a huir en una barca
de pescador**

Xerxes, quum Abydum pervenisset, pontem hybernis tempestatibus solutum invenit. Tunc trepidas piscatoria scapha mare trajecit.

Sic ille cujus naves paulo ante æquor omne vix capiebat, exiguo navigio salutem commisit suam.

Nec iter felicius fuit copiis quas ducibus suis reliquerat reducendas.

Etenim ad labores quotidianos fames, imo et pestis brevi accesserant.

Tantus etiam fuit morientium numerus, ut viæ cadaveribus implerentur, alitesque et bestiæ carnivoræ exercitum sequerentur.

22.

Derrota del ejército de Mardonio.—Su fuga

Interim Mardonius in Græcia Olynthum expugnavit.

Athenienses deinde ad pacem cum rege faciendam inducere conatus est.

Postquam autem vidit libertatem apud illos esse

rebus ceteris multo cariorem, copias in Bœotiam transtulit.

Eo et Græcorum exercitus, qui centum millium erat, eum secutus est, ibique prælium commissum fuit.

Sed eadem fuit duci, quæ regi, fortuna.

Nam victus Mardonius cum paucis profugit. Castra, regalibus opibus referta, capta sunt.

23.

Son derrotados los Persas en el Asia el mismo día.

Ponen fin a la guerra estas dos derrotas

Eodem forte die quo copiæ Mardonii deletæ sunt, navali etiam prælio in Asia, sub monte Mycale, Persæ victi fuerunt.

Etenim quum utraque classis jam congregaretur, fama ad utrumque exercitum venit Græcos vicisse, Mardoniique copias profligatas fuisse.

Quo audito, Persæ extemplo turbati diffugerunt.

Sic bello confecto, in universo Græcorum concilio Atheniensium virtus præcipuas laudes obtinuit.

Inter duces quoque Themistocles princeps civitatum testimonio declaratus est, sicque gloriam suæ patriæ auxit.

24.

Restablecimiento de las murallas de Atenas.

Embajada de los Lacedemonios con este motivo

Athenienses, pace confecta urbis restituendæ concilium susceperunt; at mœnia altiora exstruxere.

Lacedæmonii propterea miserunt Athenas legatos qui ea de re quererentur.

Themistocles respondit legatis: «Quandoquidem anxio estis animo, ego ibo Lacedæmonem; hancque controversiam vobiscum facile dirimam.»

Tum, dimissis Spartanis, hortatur suos ad opus maturandum.

Dein ipse, aliquanto post in legationem profectus est, et inter eundem infirmitate simulata, spatium consummando operi dedit.

25.

Termina Themistocles felizmente esta negociación

Interim nuntiatum est Spartanis opus Athenis maturari.

Denuo igitur legati ad illis missi fuerunt ad rem inspiciendam.

At Themistocles Atheniensium magistratibus suasit per litteras, ut eos legatos in pignus retinerent, donec ipse in patriam rediret.

Adiit deinde concionem Lacedæmoniorum, illisque dixit muros ita exstruit, non adversus socios, verum adversus hostes patriæ.

Illis etiam consilium aperuit suum de legatis retinendis, eoque vehementer objurgavit, quod sic fidem sociorum suspectam haberent.

Quibus verbis dimissus est, patriamque, re feliciter peracta repetiit.

26.

Traición y sentencia de Pausanias

Posthæc Spartani, ut bis illatum a Persis Græciæ bellum ulciscerentur ultro fines eorum depopulati sunt.

Ducem suo sociorumque exercitui delegerant Pausaniam.

At ille, Græciæ dominari cupiens, patriam tunc prodere statuit.

Dum igitur cum Xerxe rem pacisceretur, Aristides, dux Atheniensium, proditionis consilia apprehendit.

Tum, collegæ conatibus obviam eundo, spem Xerxis omnem fefellit.

Nec multo post accusatus Pausanias, a suis capite damnatus est.

27.

Vuelve Xerxes a comenzar la guerra.—Cimón, generalísimo de los Griegos.—Su piedad filial.—Xerxes es derrotado por mar y tierra

Xerxes, quum proditionis consilium manifestum vidisset, bellum instauravit.

Græci ducem constituerunt Cimonem, Atheniensem, filium Miltiadis, qui pugna marathonica Persas fuderat.

Ilius juvenis magnitudinem futuram egregia pietatis in patrem exempla portenderant.

Etenim patrem in vincula conjectum ibique defunctum ad sepulturam redemit.

Nec in bello virtus ejus spem Græcorum frustrata fuit.

Et quidem Cimon Xersem, terrestri navalique prælio victum, recipere se in regnum coegit.

Muerte trágica de Xerxes

Rex Persarum, in Græcia victus, cœpit etiam esse suis contemptuit.

Itaque Artabanus, unus ex ejus præfectis, spe regnandi adductus, mortem illi machinabatur.

Quadam die sub vesperum regiam cum septem suis filiis ingressus, regem trucidavit.

Filios vero Xerxis, qui supererant dolo aggressus est.

Cæde igitur patris primum insimulavit Darium, regis filium, et ille quoque interfectus est.

Dein Artaxerxi ipse paravit insidias, qui brevi rem omnem comperit.

Denuntiatum est enim Artaxerxi, ut pater ejus occisus, ut frater falso insimulatus fuisset, ut denique ipse struerentur insidiæ.

Es vengada la muerte de Xerxes con la de Artabano

His cognitis, Artaxerxes, verens Artabani filiorum numerum, jubet recenseri postridie exercitum.

Inter ceteros et ipse Artabanus in armis assistebat.

Tunc rex simulat se breviorum loricam habere, jubetque Artabanum secum commutare.

At illum se exuentem Artaxerxes gladio transfixit, filiosque ejus statim corripiendos curavit.

Atque ita egregius ille adolescent et cædem patris, et necem fratris et se ab insidiis Artabani vindicavit.

30.

Licurgo, legislador de Esparta

Dum hæc in Perside gererentur, Lacedæmonii et Athenienses, duo potentissimi Græciæ populi, inter se bellabant.

Operæ pretium est hic dicere de Licurgo, qui Spartam egibus informavit.

Lycurgus, e regia stirpe natus, fratri suo Polybitæ, Spartanorum regi, successit.

At postea quum apud eum æquitas plus quam opes valeret, Charillo fratris filio regnum restituit.

Dum tutelam Charilli administraret, non habentibus Spartanis leges instituit.

Nec inventionem earum clarior, quam suis exemplis, fuit.

31.

Leyes de Licurgo

Administrationem reipublicæ per ordines divisit.

Regibus potestatem bellorum, magistratibus annuis judicia, senatui custodiam legum, populo senatum ceterosque magistratus creandi potestatem permisit.

Fundos omnium æqualiter in omnes divisit, ne quis altero potentior esset.

Emi singula, non pecunia, sed compensatione mercium jussit.

Auri argentique usum velut omnium scelerum materiam sustulit.

Convivari omnes publice voluit, ne cujusquam opes vel mores in occulto essent.

32.

Continuación de las leyes de Licurgo

Parcimoniam omnibus suasit, ratus laborem militiæ assidua frugalitatis consuetudine faciliorem fore.

Juvenibus non amplius una veste uti toto anno permisit.

Pueros puberes in agrum deduci præcepit, ut primos annos in opere et laboribus agerent.

Illos humo nuda dormire, nec prius in urbem redire, quam viri facti essent, statuit.

Virgines sine dote nubere jussit, ut virtutum duntaxat, non divitiarum ratio haberetur.

Maximum honorem, non viris divitibus, et potentibus, sed senibus haberi voluit.

Nec sane usquam terrarum locum honorationem senectus habuit.

33.

Destierro voluntario de Licurgo

Lycurgus, ut leges religiose observarentur, finxerat Apollinem delphicum earum esse auctorem.

Deinde curavit ut perpetuo constanterque colerentur.

Simulavit igitur se Delphos proficisci, ut oraculum consuleret, quid addendum legibus, quidve mutandum fore.

Jurejurando prius cives obligavit, eos nihil ex legibus mutaturos esse, antequam reverteretur.

Profectus est autem Cretam, ibique perpetuum egit exsilium.

Jussit etiam moriens abjici in mare ossa sua, ne si relata essent Lacedæmonem, Spartani se jurejurando suo solutos arbitrarentur.

34.

Guerra de los Mesenios y Lacedemonios.—Toma de la ciudad de los Mesenios

Dum æquis illis legibus floreret Lacedæmon, Messenii spartanas virgines in solempni sacrificio affecerunt injuria.

Lacedæmonienses igitur bellum Messeniis intulerunt, Messeniamque obsederunt.

At eos contra spem suam, obsidio urbis decem annis tenuit.

Ad dolum igitur confugerunt, Messeniosque per insidias expugnauerunt.

Timuerant videlicet ne bellum diuturnum ipsis plus quam Messeniis noceret.

Sic victi Messenii per annos octoginta omnia servitutis mala perpassi sunt.

35.

Piden los Lacedemonios un general a los Atenenses, quienes les envían por desprecio al poeta Tyrteo

Messenii, post longam malorum patientiam bellum instauraverunt.

Lacedæmonii quoque adversus istos rebelles servos ad arma concurrerunt.

Hinc igitur injuria, illinc indignatio animos acuebat.

Lacedæmonii juxta responsum Apollinis, ducem belli ad Atheniensibus petiverunt.

Porro Athenienses, qui responsum oraculi cognoverant, Spartanis Tyrteum poetam, claudum pede, in contemptum miserunt.

Qui tribus priæliis fessus, eo usque desperationis Spartanos adduxit, ut reges exercitum vellent reducere.

36.

**Excita Tyrteo el valor de los Lacedemonios,
que obtienen la victoria**

Tyrteus consilio regum obstitit, exercituique carmina excitatoria recitavit.

Tantum ardorem militibus iniecit, ut vel vincere vel mori essent parati.

Quum sic animatum reges vidissent exercitum, curaverunt ut res Messeniis nuntiaretur.

Quæ res Messeniis non timorem, sed æmulationem mutuam dedit.

Itaque tam acriter dimicatum est, ut nunquam cruentius prælium fuerit.

Postremum tamen victoria Lacedæmoniorum fuit.

37.

**Tercera guerra de los Mesenios.—Guerra de Atenas
y de Esparta**

Interjecto tempore, tertium quoque bellum Messenii reparavere.

Lacedæmonii primum in hoc bello Atheniensium auxilium adhibuerant.

At brevi, quum illorum fidem suspectam haberent, eos dimiserunt.

Quam injuriam Athenienses graviter ferentes,ulti fuerunt.

Sed non Lacedæmonii quievere; quumque Messeniorum bello occupati essent, Peloponneses immisere, qui bellum Atheniensibus facerent.

Parvæ tunc temporis vires Atheniensibus erant; classem quippe miserant in Ægyptum.

Itaque navali prælio illi facile fuerunt superati.

38.

**Vuelven los Atenenses a tomar las armas
Encarnizamiento de los Espartanos**

Non multo post, Athenienses novum bellum susceperunt.

Itaque Lacedæmonii, omissis Messeniis, adversus Athenienses arma verterunt.

Diu incerta victoria fuit; æquo tandem Marte utrinque discesserunt.

Inde adversus Messenios Lacedæmonii reversi sunt.

At, ne otium Atheniensibus relinquerent, ad bellum cum illis gerendum Thebanos impulerunt.

Athenienses igitur, in tanta tempestate, duos duces egerunt, Periclem, spectatæ virtutis virum, et Sophoclem, poetam eximium qui, diviso exercitu, et Spartanorum agros vestaverunt, et multas Achaiæ civitates Atheniensium imperio adjecerunt.

Hacen la paz los Lacedemonios.—Violan al poco tiempo su tratado

His fracti malis Lacedæmonii, in annos triginta pacem pepigerunt.

Sed tam longum otium non tulerunt eorum inimicitiae.

Itaque, decimo quinta anno, rupto fœdere, fines atticos depopulati sunt, et hostes suos ad prælium provocavere.

Athenienses autem, consilio Periclis, sui ducis, injuriæ ultionem in aliud tempus distulerunt.

Interjectis deinde diebus, naves conscenderunt, totamque Spartam deprædati, multo plura abstulerunt quam amiserant.

Longe igitur major fuit ultio quam injuria.

Rasgo de prudencia y patriotismo de Pericles

Clara quidem hæc Periclis expeditio; sed multo clarior privati patrimonii contemptus fuit.

Lacedæmonii hujus agros, dum ceteros popularentur, intactos reliquerant.

Sic enim voluerant conflare huic viro suorum invidiam.

Quod prospiciens Pericles, ad declinandam invidiam, agros suos dono reipublicæ dederat.

Atque ita ibi maximam invenit gloriam, unde periculum ipse imminebat.

Postæc navali prælio dimicatum est, victique Lacedæmonii fugerunt.

Denique, fessi tot malis, in annos quinquaginta pacem fecere quam nonnisi sex anis servaverunt.

41.

Es llevada la guerra a Sicilia.—Descripción de esta comarca

Hinc bellum in Siciliam traslatum est, de cujus situ pauca prius dicam.

Vicina est Italiæ Sicilia; hujus solum est ita tenue et penetrabile, ut ventorum flatibus totum pateat.

Strata intrinsecus sulphure et bitumine dicitur.

Hic stat mons Ætna, cujus visceribus materia ad generandos nutriendosque ignes idonea continetur.

Hinc frequenter nunc flammæ, nunc vapor, nunc fumus eructantur.

Et ubi acrior ventus interiora penetravit, arenarum moles saxaque egeruntur.

42.

Primeros habitantes.—Antiguos tiranos de Sicilia

Siciliæ primum Trinacria nomen fuit, postea Sicania cognominata est.

Hæc a principio patria Cycloperum fuit, quibus extinctis, Cocalus regnum insulæ occupavit.

Illo mortuo, singulæ civitates in tyrannorum imperium concesserunt.

Horum ex numero fuit Anaxilaus, qui tamen justitia inter ceteros eminebat.

Imperium Siciliæ etiam Carthaginenses usurpare aggressi sunt, diuque varia fortuna cum tyrannis dimicaverunt.

Postremum, amisso Hamilcare imperatore cum exercitu, aliquantis per quievit.

43.

**Desgraciada suerte de los moradores de Reggio
en Sicilia**

Illis forte temporibus, Rhegini divisi in duas factionum partes erant.

Altera pars in auxilium vocavit socios, a quibus expulsi sunt civitate ii contra quos accersiti fuerant.

Illi vero mox interfecerunt eos quibus tulerant auxilium, urbemque cum conjugibus et liberis occupare.

Rheginis igitur melius fuisset vinci quam vicisse.

Nam sive victoribus serviissent, sive patria exulare necesse habuissent, non tamen neci occubuissent crudelissimæ.

Nec etiam patriam cum conjugibus ac liberis prædam tyrannis reliquissent.

44.

**Conciben los Atenienses el proyecto de apoderarse
de Sicilia**

Catinienses quoque quom Syracusanorum fugam excutere vellent, auxilium ad Atheniensibus petivere.

Athenienses Lamponium ducem eum classe in Siciliam miserunt.

At, sub specie ferendi Catiniensibus auxilii, tentare Siciliæ imperium in animo habebant.

Prima initia belli, cæsis frequenter hostibus, prospera fuerunt.

Tunc majori classe majorique exercitu, Lachete et Chabriade ducibus, Siciliam adierunt.

Sed Catinienses, seu metu Atheniensium, seu trædio belli, remisserunt Atheniensium auxilia, pacemque cum Syracusanis fecere.

45.

Son llamados los Atenienses a Sicilia contra los de Siracusa

Pax autem a Syracusanis non servata fuit, Dathiensesque denuo legatos Athenas miserunt.

Qui, quum Atheniensium concionem adiissent sordida veste, sparsis crinibus et lacrymabundi, populum misericordia moverunt.

Classis igitur ingens instructa fuit, et creati sunt duces Nicias, Alcibiades et Lamachus.

Brevi post tempore, revocato Alcibiade, duo prælia terrestria commisserunt Nicias et Lamachus, retuleruntque victoriam.

Urbe deinde obsessa, hostes intra mœnia clausos marinis etiam com meatibus intercluserunt.

46.

Socorren los Lacedemonios a los de Siracusa.

Derrota de los Atenienses.—Guerra naval

Quibus rebus fracti Syracusani, auxilium a Lacedæmoniis petiverunt.

Ab his missus et Gylippus solus, qui, quum auxilia

partim in Græcia, partim in Sicilia contraxisset, opportuna loca occupavit.

Duobus præliis primum victus fuit.

At congressus tertio occiso Lamacho, et hostes in fugam compulit, et socios obsidione liberavit.

Tunc Athenienses navale bellum tentaverunt.

Gylippus contra classem Lacedæmone cum auxiliis accersivit.

Quo cognito, Athenienses in locum Lamachi Demosthenem et Eurymedonta cum supplemento copiarum miserunt.

Peloponnesii quoque ingentia Syracusanis auxilia misere.



BIOGRAFIAS

THEMÍSTOCLES

1.

Su familia.—Es desheredado por su padre.

Su disposición

Themistocles, Neocli filius, Atheniensis. Huius vitia ineuntis adolescentiae magnis sunt emendata virtutibus: adeó ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Sed ab initio est ordiendum. Pater eius, Neocles, generosus fuit. Is uxorem Halicarnassiam civem duxit, ex qua natus est Themistocles; qui, cüm minús esset probatus parentibus, quód et liberius vivebat, et rem familiarem negligebat, a patre exheredatus est. Quae contumelia non fregit eum, sed erexit. Nam, cüm iudicásset, sine summa industria non posse eam exstingui, totum se dedit reipublicae, diligentius amicis famaëque serviens. Multúm in iudiciis privatis versabatur, saepe in concionem populi prodibat; nulla res maior sine eo gerebatur, celeriterque, quae opus erant, reperiebat, facilé eadem oratione explicabat. Neque minus in rebus gerendis promptus quám excogitandis erat: quód *et de instantibus* (ut ait Thucydides) *verissimè iudicabat, et de futuris callidissimè coniiiciebat*. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur.

2.

**Su primer empleo.—Aconseja construir naves.
Persigue a los piratas.—Interpreta las palabras
del Oráculo**

Primus autem gradus fuit capessendae reipublicae bello Corcyraeo: ad quod gerendum praetor a populo factus, non solum praesenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. Nam cum pecunia publica, quae ex metallis redibat, largitione magistratum quotannis interiret, ille persuasit populo, ut ea pecunia classis centum navium aedificaretur. Qua celeriter affecta, primum Corcyraeos fregit; deinde, maritimos praedones consecrando, mare tutum reddidit. In quo cum divitiis ornavit, tum peritissimos belli navalis fecit Athenienses. Id quantae saluti fuerit universae Graeciae, bello cognitum est Persico, cum Xerxes et mari et terra bellum universae inferret Europae, cum tantis eam copiis invasit, quantas neque antea neque postea habuit quisquam. Huius enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam duo millia onerariarum sequebantur; terrestres autem exercitus septingentorum millium peditum, equitum quadrigentorum millium fuerunt. Cuius de adventu cum fama in Graeciam esset perlata, et maximè Athenienses peti dicerentur propter pugnam Marathoniam, miserunt Delphos consultum quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, *ut moenibus ligneis se munirent*. Id responsum quò valeret, cum intelligeret nemo, Themistocles persuasit, *consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent: eum enim a*

deco significari murum ligneum. Tali consilio probato, addunt ad superiores totidem naves triremes, suaque omnia, quae moveri poterant, partim Salaminem, partim Troezenem asportant: arcem sacerdotibus paucisque maioribus natu, ac sacra procuranda tradunt: reliquum oppidum relinquunt.

3.

Paso de las Termópilas y combate naval de Salamina

Huius consilium plerisque civitatibus displicebat, et in terra dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leonida Lacedaemoniorum rege, qui Thermopylas occuparent, longiusque barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt, eoque loco omnes interierunt. At clasís communis Graeciae trecentarum navium, in qua ducentae erant Atheniensium, primùm apud Artemisium inter Euboeam continentemque terram cum classariis regis conflixit. Angustias enim Themistocles quaerebat, ne multitudine circumiretur. Hic etsi pari praelio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere, quòd erat periculum, ne, si pars navium adversariorum Euboeam superasset, ancipiti premerentur periculo. Quo factum est, ut ab Artemisio discederent, et exadversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent.

4.

Derrotado Jerges incendia a Atenas. — Vence Temistocles llevando a la armada Persa a un lugar estrecho

At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus accessit Astu, idque, nullis defendentibus, interfectis

sacerdotibus, quos in arce invenerat, incendio dele-
vait. Cuius fama perterriti classarii cùm manere non
auderent, et plurimi hortarentur, *ut domos suas quis-
que discederent, moenibusque se defenderent*, Themis-
tocles unus restitit, et *universos esse pares* aiebat,
dispersos testabatur perituros, idque Eurybiadi, regi
Lacedaemoniorum, qui tum summae imperii prae-
eras, fore affirmabat. Quem cùm minus, quam vellet,
moveret, noctu de servis suis, quem habuit fidelissim-
um, ad regem misit, ut ei nunciaret suis verbis:
*adversarios eius in fuga esse: qui si discessissent, maio-
re cum labore et longinquiore tempore bellum confectu-
rum, cum singulos consecrari cogeretur, quos si statim
aggrederetur, brevi universos oppressurum*. Hoc eò
valebat, ut ingratis ad depugnandum omnes coge-
rentur. Hâc re auditâ, barbarus, nihil doli subesse
credens, postridie alienissimo sibi loco, contra oppor-
tunissimo hostibus, adeò angusto mari conflixit, ut
eius multitudo navium explicari non potuerit. Victus
ergo est, magis consilio Themistoclis quàm armis
Graeciae.

5.

**Victoria de Salamina.—Europa se libra
por Temístocles del yugo de los Persas**

Hic barbarus etsi malè rem gesserat, tamen tantas
habebat reliquias copiarum, ut etiam cum his oppri-
mere posset hostes. Interim ab eodem gradu depul-
sus est. Nam Themistocles verens, ne bella re perse-
veraret, certiozem eum fecit, *id agi ut pons, quem
ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur, ac reditu in
Asiam excluderetur*, idque ei persuasit. Itaque quâ
sex mensibus iter fecerat eadem minus diebus triginta

in Asiam reversus est, seque a Themistocles non superatum, sed conservatum iudicavit. Sic unius viri prudentiâ Graecia liberata est. Europaeque sucubuit Asia. Haec altera victoria, quae cum Marathonio possit comparari trophaeo: nam pari modo apud Salamina parvo numero navium maxima post hominum memoriam classis est devicta.

6.

Mejoras que hace en la paz.—Los Espartanos intentan impedir hacer murallas en Atenas.—Proceder de Temistocles

Magnus hoc bello Themistocles fuit, nec minor in pace. Cùm enim Phalereo portuneque magno neque bono Athenienses uterentur; hurus consilio triplex Piraei portus constitutus est, isque moenibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate aequipararet, utilitate superaret. Idemque muros Atheniensium restituit praecipuo periculo suo. Namque Lacedaemonii, causam idoneam nacti, propter barbarorum excursiones, quâ *negarent oportere extra Peloponnesum ullam urbem haberi, ne essent loca munila quae hostes possiderent*, Athenienses aedificantes prohibere sun conati. Hoc longè aliò spectabat, atque videri volebant. Athenienses enim duabus victoriis, Marathonîâ et Salaminiâ, tantam gloriam apud omnes gentes erans consecuti, ut intelligerent Lacedaemonii de principatu sibi cum his certamen fore: quare eos quàm infirmissimos esse volebant. Postquam autem audierunt muros instrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. His praesentibus desierunt, ac se de ea re ligatos ad eos missuros dixerunt. Hanc

legationem suscepit Themistocles, et solus primò profectus est; *reliqui legati ut tum exirent, cùm salis altitudo muri exstructa videretur, praecepit; interim omnes servit atque liberi opus facerent, neque ulli loco parcerent, sive sacer esset, sive profanus, sive privatus, sive publicus; et undique, quod idoneum ad munendum putarent, congererent.* Quo factum est, ut Atheniensium muri ex sacelles sepulcrisque constarent.

7.

Se vale de varios medios para desvanecer las quejas.

**Estando ya casi concluidas las fortificaciones,
descubre su plan a los Lacedemonios**

Themistocles autem, ut Lacedaemonem venit, adire ad magistratus noluit; et dedit operam, ut quàm longissimè tempus duceret, causam interponens, se collegas spectare. Cùm Lacedaemonii quererentur, opus nihilominùs fieri, eumque ea re conari fallere, interim reliqui legati sunt consecuti: a quibus cum audisset, non multum superesse munitionis, ad Ephoros Lacedaemoniorum accessit, penes quos summum imperium erat, atque apud eos contendit, *falsa his esse delata: quare aequum esse, illos viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent; interea se obsidem retinerent.* Gestus est ei mos, tresque legati functi summis honoribus Athenas missi sunt. Cùm his collegas suos. Themistocles iussit proficisci, eisque praedixit: *ut ne priùs Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quàm ipse esset remissus.* Hos postquam Athenas pervenisse ratus est, ad magistratum senatumque Lacedaemoniorum adiit, et apud eos liberrimè professus est, *Athenienses suo consilio, quod*

communi iure gentium facere possent, deos publicos suosque patrios ac penales, quò facilius ab hoste possent defendere, muris sepsisse; neque eò, quod inutile esset Graeciae, fecisse: nam illorum urbem ul propugnaculum oppositam esse barbaris, apud quam iam bis classis regia fecisset naufragium. Lacedaemonios autem malè et iniustè facere, qui id potiùs intuerentur, quod ipsorum dominationi, quàm quod universae Graeciae utile esset. Quare, si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent, aliter illos nunquam in patriam essent recepturi.

8.

Es desterrado y condenado por traidor.

Huye acogiendo a la protección del rey Admeto.

Se embarca disfrazado

Tamen non effugit civium suorum invidiam: namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testularum suffragiis e civitate eiectus, Argos habitatum concessit. Hic cum propter multas eius virtutes magna cum dignitate viveret, Lacedaemonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, *quod societatem cum rege Persarum ad Graeciam opprimendam fecisset.* Hoc crimine absens proditionis est damnatus. Id ut audivit, quò non satis tutum se Argis videbat, Corcyram demigravit. Ibi cum eius principes civitatis animadvertisset timere, ne propter se bellum his Lacedaemonii et Athenienses indicerent, ad Admetum, Molossorum regem, cum quo ei hospitium fuerat, confugit. Huc cum venisset, et in praesentia rex abesset, quò maiore religione se receptum tueretur, filiam eius parvulam arripuit, et

cum ea se in sacrarium, quod summa colebatur ceremonia, coniecit. Inde non priùs egressus est, quàm rex eum data dextra in fidem reciperet, quam praestitit. Nam cùm ab Atheniensibus et Lacedaemonis exposceretur publicè; supplicem non prodidit, monuitque *ut consuleret sibi: difficile enim esse in tam propinquo loco tulò eum versari*. Itaque Pydnam eum deduci iussit, et, quod satis esset praesidii, dedit. Hac re audita, hic in navem omuib; ignotus nautis ascendit. Quae cùm tempestate maxima Naxum ferretur ubi tum Atheniensium erat exercitus, sensit Themistocles, si eò pervenisset, sibi esse pereundum. Hac necessitate coactus, domino navis, quis sit, aperit, multa pollicens, si se conservasset. At ille, clarissimi viri captus misericordia, diem noctemque procul ab insula in salo navem tenuit in anchoris, neque quemquam ex ea exire passus est. Inde Ephesum pervenit, ibique Themistoclem exponit: cui ille pro meritis gratiam postea retulit.

9.

Llega al Asia y ofrece sus servicios al rey en una carta

Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclem, Xerxe regnante in Asiam transiisse; sed ego potissimùm Thucydidi credo, quòd aetate proximus erat, qui illorum temporum historiam reliquerunt, et eiusdem civitatis fuit. Is autem ait ad Artexerxem eum venisse, atque his verbis epistolam misisse: *Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli, cùm mihi necesse fuit adversùs patrem tuum bellare, patriamque meam defendere. Idem multò plura bona feci, postquam in tulo ipse ego, et*

ille in periculo esse coepit. Nam, cùm in Asiam reverti vellet, proelio apud Salamina facto, litteris eum certior feci, id agi, ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur, atque ab hostibus circumiretur, quo nuncio ille periculo est liberatus. Nunc autem ad te confugi exagitatus a cuncta Graecia, tuam petens amicitiam: quam si ero adeptus, non minùs me bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de iis rebus, de quibus tecum loqui volo, annum mihi temporis des, eoque transacto, me ad te venire patiaris.

10.

El rey admira el valor de este general, haciéndole muchos regalos.—Su muerte: es enterrado en èl Atica

Huius rex animi magnitudinem admirans, cupiensque talem virum sibi conciliari, veniam dedit. Ille omne illud tempus litteris sermonique Persarum dedit: quibus adeò eruditus est ut multo commodiùs dicatur apud regem verba fecisse quàm hi poterant qui in Perside erant nati. Hic cùm multa regi esset pollicitus, gratissimumque illud, *si suis uti consiliis vellet, illum Graeciam bello oppressurum*, magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam rediit, domiciliumque Magnesiaë sibi constituit. Namque hanc urbem ei rex donarat, his usus verbis: *quae ei panem proberet: ex qua regione quinquaginta ei talenta quotannis redibant; Lampsacum, unde vinum sumeret; Myntem, ex qua obsonium haberet*. Huius ad nostram memoriam monumenta manserunt duo: sepulcrum prope oppidum, in quo est sepultus; statuæ in foro Magnesiaë. De cuius morte multimodis apud pleros-

que scriptum est; sed nos eundem potissimum Thucydidem auctorem probamus, qui *illum ait Magnesia morbo mortuum: neque negal, fuisse jamam, venenum sua sponte sumpsisse, cum se, quae regi de Graecia opprimenda pollicitus esset, praestare posse desperaret. Idem, ossa eius clam in Attica ab amicis esse sepulta, quoniam legibus non concederetur, quod prodilionis esset damnatus, memoriae prodidit.*

MARCO TULLIO CICERÓN

1.

Nacimiento de Cicerón.—De dónde le vino el sobrenombre de Cicerón.—Su talento y progreso en los estudios.—Aprecio que de él hacían sus condiscipulos.—Envidia que le tenían algunos

Marcus Tullius Cicero, equestri genere, Arpini, quod est Volscorum oppidum, natus est. Ex ejus avis unus verrucam in extremo naso sitam habuit, ciceris grano similem; inde cognomen Ciceronis genti inditum. Quum id Marco Tullio a nonnullis probro verteretur: «Dabo operam, inquit, ut istud cognomen nobilissimorum nominum splendorem vincat». Quum eas artes disceret, quibus aetas puerilis ad humanitatem solet informari, ingenium ejus ita eluxit, us eum aequales, e schola redeuntes, medium, tamquam regem, circumstantes, deducerent domum; imò eorum parentes, pueri famâ commoti, in ludum litterarium ventitabant, ut eum viserent. Ea res tamen quibusdam rustici et inculti ingenii stomachum movebat,

qui cæteros pueros graviter objurgabant, quod talem condiscipulo suo honorem tribuerent.

2.

Oposición de Cicerón al partido de Sila.—Estudia la filosofía en Atenas y la elocuencia en Rodas.—Sus extraordinarios progresos.—Va de cuestor a Sicilia y se granjea el aprecio de todos.

Tullius Cicero, adolescens, eloquentiam et libertatem suam adversus Syllanos ostendit. Crysogonum quemdam, Syllæ libertum, acriter insectatus est: quod, dictatoris potentiâ fretus, in bona civium invadebat. Ex quo veritus invidiam Cicero, Athenas petivit, ubi Antiochum philosophum studiosè audivit. Indè eloquentiæ gratiâ Rhodum se contulit, ubi Molone, rhetore tum dissertissimo, magistro usus est. Qui, quùm Ciceronem dicentem audivisset, flevisse dicitur, quod prævideret per hunc Græcos a Romanis ingenii et eloquentiæ laude superatum iri. Romam reversus, quæstor in Sicilia fuit. Nullius verò quæstura aut gratior, aut clarior fuit. Quùm in magnâ annonæ difficultate ingentem frumenti vim indè Romam mitteret, Siculos initio offendit; postea verò, ubi diligentiam, justitiam, et comitatem ejus experti fuerunt, majores quæstori suo honores, quàm ulli unquam prætori detulerunt.

3

Asciende Cicerón al consulado y descubre la conjuración de Catilina.—Proyectos de este conspirador. Sale a campaña Catilina.—Suerte que tuvieron sus aliados.—Severidad de un Senador para con su propio hijo.

Cicero, consul factus, Sergii Catilinæ conjurationem singulari virtute, constantiâ curâque compressit. Is nempe indignatus quod in petitione consulatus repulsam passus esset, et furore amens, cum plurimis viris nobilibus Ciceronem interficere, senatum trucidare, urbem incendere, ærarium diripere constituerat. Quæ tam atrox conjuratio à Cicerone detecta est. Catilina, metu consulis, Româ ad exercitum quem paraverat, profugit. Socii ejus, comprehensi, in carcere necati sunt. Senator quidam filium supplicio mortis ipse affecit. Juvenis scilicet ingenio, litteris et formâ inter æquales conspicuus, pravo consilio amicitiam Catilinæ sequutus fuerat, et in castra ejus properabat: quem pater, ex medio itinere retractum, occidit, his eum verbis increpans: «Non ego te Catilinæ adversus patriam, sed patriæ adversus Catilinam genui».

4.

Dirigese Catilina a Roma y es derrotado con su ejército.—Valor de sus tropas.—Dase a Cicerón el título de *Padre de la Patria*.—Consecuencia de este glorioso dictado.—Juramento de Cicerón.

Non ideo Catilina ab incepto destitit, sed infestis signis Romam petens, cum exercitu cæsus est. Adeo

acriter dimicatum est, ut nemo hostium prælio superfuerit: quem quisque in pugnando ceperat, eum, amissâ animâ, tegebat locum. Ipse Catilina longè a suis inter eorum, quos occiderat, cadavera, cecidit, morte pulcherrima, si pro patriâ suâ sic occubisset. Senatus, populusque Romanus Ciceronem Patriæ Patrem appellavit. Ea res tamen Ciceroni postea invidiam creavit, adeo ut abeuntem magistratu verba facere ad populum vetuerit quidam Tribunus plebis, quod cives, indictâ causâ, damnavisset, sed solitum dumtaxat juramentum præstare ei permiserit. Tum Cicero magnâ voce: «Juro, inquit, rempublicam atque urbem Romam meâ unius operâ salvam esse»: quâ voce delectatus populus Romanus, et ipse juravit verum esse Ciceronis juramentum.

5.

Acusación de Clodio.—Sale Cicerón de Roma con sentimiento de los buenos ciudadanos.—Vuelve al poco tiempo a su patria.—Alegria universal.—Reedificación de su casa a costa del erario público.—Declárase por el partido de Pompeyo.—Protege a Octavio, quien después le vende.

Paucis post annis Cicero reus factus est a Clodio, Tribuno plebis, eâdem de causâ, quod nempè cives Romanos necavisset. Tunc mœstus Senatus, tamquam in publico luctu, vestem mutavit. Cicero, quàm posset armis salutem suam defendere, maluit urbe cedere, quam suâ causâ cædem fieri. Proficiscentem omnes boni flentes prosequuti sunt. Dein Clodius edictum proposuit, ut Marco Tullio igni et aquâ interdiceretur: illius domum et villas incendit. Sed vis

illa diuturna non fuit; mōx enim maximo omnium ordinum studio Cicero in patriam revocatus est. Obviam ei redeunti ab universis itum est; domus ejus publicā pecuniā restituta est. Postea Cicero, Pompeii partes sequutus, a Cæsare victore veniam accepit. Quo interfecto, Octavium hæredem Cæsaris, fovit atque ornavit, ut eum Antonio rempublicam vexanti opponeret; sed ab illo deindè desertus est et proditus.

6.

**Proscritto Cicerón por Antonio, sale fugitivo de Roma.
Alcánzanle sus enemigos.—Su desastrosa muerte.**

Antonius, initâ cum Octavio societate, Ciceronem, jamdiù sibi inimicum proscripsit. Quâ re auditâ, Cicero transversis itineribus fugit in villam, quæ a mari proximè aberat; indèque navem conscendit, in Macedoniam transiturus. Quùm verò jam aliquoties in altum provectum venti adversi retulissent, et ipse jactationem navis pati non posset, regressus ad villam: «Moriar, inquit, in patriâ sæpè servatâ». Mōx adventantibus percussoribus, quùm servi parati essent ad dimicandum fortiter, ipse lecticam, quâ vehebatur, deponi jussi, eosque quietos pati quod sors iniqua cogeret. Prominenti ex lecticâ, et immotam cervicem præbenti caput præcissum est. Manus quoque abscissæ: caput relatum est ad Antonium, ejusque jussu inter duas manus in rostris positum. Fulvia, Antonii uxor, quæ se a Cicerone læsam arbitrabatur, caput manibus sumpsit, in genua imposuit, extractamque linguam acu confixit.

7.

Carácter de Cicerón.—Modo de llamarlo sus enemigos.—Anécdota de Léntulo, su yerno.—Id. a la matrona que presumía ser joven.—Id. al nombramiento del Cónsul Caninio.

Cicero dicax erat, et facetiarum amans, adeo ut ab inimicis solitus sit appellari scurra consularis. Quùm Lentulum, generum suum, exiguæ staturæ hominem, vidisset longo gladio accinctum: «¿Quis, inquit, generum meum ad gladium alligavit? Matrona quædam juniorem se, quam erat, simulans, dictitabat se triginta tantùm annos haberet; cui Cicero: «Verum est, inquit; nam hoc viginti annos audio». Cæsar, altero consule mortuo die decembris ultimâ, Caninium consulem horâ septimâ, in reliquam diei partem renunciaverat: quem, quùm plerique irent salutatum de more: «Festinemus: inquit Cicero, priusquam abeat magistratu». De eodem Caninio scripsit Cicero: «Fuit mirificâ vigilantia Caninius, qui toto suo consulatu somnum non viderit».

EUTROPIO

EXTRACTOS DEL COMPENDIO DE LA HISTORIA DE ROMA

1.

Fundación de Roma.—Rómulo, primer rey

Romanum imperium, quo neque ab exordio ullum ferè minus, neque incrementis toto orbe ampliùs hu-

mana potest memoria recordari, a Romulo exordium habet; qui, Vestalis virginis filius, et (quantum putatus est) Martis, cum Remo fratre, uno partu editus est. Is quum inter pastores latrocinaretur, octodecim annos natus, urbem exiguam in Palatino monte constituit, undecimo Calendas Majas, Olympiadis sextæ anno tertio; post Trojæ excidium, ut qui plurimum minimumque tradunt, trecentesimo nonagesimo quarto.

Conditâ civitate, quam ex nomine suo Romam vocavit, hæc ferè egit. Multitudinem finitimorum in civitatem recepit; centum ex senioribus elegit, quorum consilia omnia ageret, quos *Senatores* nominavit propter senectutem. Tunc, quum uxores ipse et populus non haberent, invitavit ad spectaculum ludorum vicinas urbi nationes, atque earum virgines rapuit. Commotis bellis propter raptarum injuriam, Cæninenses vicit, Antemnates, Crustuminos, Sabinos, Fidenates, Vejentis, quæ omnia oppida urbem cingunt. Et quum, ortâ subito tempestate, non comparisset, anno regni trigesimo septimo ad Deos transisse creditus, consecratus est. Deindè Romæ per quinos dies Senatores imperaverunt, et his regnantibus, annus unus completus est.

2.

**Numa Pompilio, segundo rey.—Tulo Hostilio,
tercer rey**

Postea Numa Pompilius rex creatus est; qui bequàm Romulus profuit. Nam et leges Romanis, moresque constituit, qui consuetudine præliorum jam latrones ac semibarbari putabantur. Annum descrip-

sit in decem menses, priùs sine aliqua computatione confusum; et infinita Romæ sacra ac templa constituit. Morbo decessit quadragesimo tertio imperii anno.

Huic successit Tullus Hostilius. Hic bella reparavit; Albanos vicit, qui ab urbe Româ duodecimo milliario absunt. Veientes et Fidenates, quorum alii sexto milliario absunt ab urbe Romanâ, alii octavo decimo, bello superavit: urbem ampliavit, adjecto Cœlio monte. Quùm triginta duobus annis regnasset, fulmine ictus, cum domo sua arsit.

3.

**Ancus Marcio, cuarto rey.—Tarquino el Antiguo,
quinto rey**

Post hunc Ancus Marcius, Numæ ex filia nepos, suscepit imperium. Contra Latinos dimicavit: Aventinum montem civitati adjecit et Janiculum: Ostiam civitatem supra mare sexto decimo milliario ab urbe Româ condidit: vigesimo cuarto anno imperii morbo periit.

Deindè regnum Priscus Tarquinius accepit. Hic numerum Senatorum duplicavit, Circum Romæ ædificavit, ludos romanos instituit, qui ad nostram memoriam permanent. Vicit idem etiam Sabinos, et non parum agrorum, sublatum iisdem, urbis Romæ territorio adjunxit; primusque triumphans urbem intravit. Muros fecit et cloacas; Capitoliùm inchoavit. Tricesimo octavo imperii anno per Anci filios occisus est, regis ejus cui ipse successerat.

4.

**Servio Tulio, sexto rey.—Tarquino el Soberbio,
séptimo y último rey**

Post hunc Servius Tullius suscepit imperium, genitus ex nobili æeminâ, captivâ tamen et ancillâ. Hic quoque Sabinos subegit, montes tres, Quirinalem, Viminalem, Esquilinum, urbi adjunxit; fossas circum murum duxit. Primus omnium censum ordinavit, qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat. Sub eo Roma, omnibus in censum delatis, habuit capitum octoginta quatuor millia civium Romanorum, cum his, qui in agris erant. Occisus est quadragesimo quinto imperii anno scelere generi sui Tarquini Superbi, filii ejus regis, cui ipse successerat, et filia suæ, quam Tarquinius habebat uxorem.

Lucius Tarquinius Superbus, septimus atque ultimos regum, Volscos (quæ gens ad Campaniam euntibus non longè ab urbe est) vicit: Gabios civitatem, et Suessam Pometiam subegit: cum Thuscis pacem fecit; et templum Jovi in Capitolio ædificavit. Postea Ardeam oppugnans, in octavo decimo milliario ab urbe positam civitatem, imperium perdidit.

.....
.....
Brutus parens, et ipse Collatinus, populum concitavit, et Tarquino ademit imperium. Mox exercitus quoque eum, qui civitatem Ardeam cum ipso rege oppugnabat, reliquit; veniensque ad urbem rex, portis clausis, exclusus est. Cumque imperasset annos viginti quinque, cum uxore et liberis suis fugit. Ita Romæ regnatum est, per septem reges annis ducentis

tis quadraginta tribus quum adhuc Roma, ubi plurimum, vix usque ad quintum decimum milliarium possideret.

5.

Creación de los Cónsules.—Guerra de Tarquino el Soberbio contra los Romanos

Hinc consules cœpere pro uno rege duo hâc causâ creari; ut, si unos malus esse voluisset, alter eum, habens potestatem similem, coerceret. Et placuit, ne imperium longiùs quam annum haberent; ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed civiles semper essent, qui se post annum scirent, futuros esse privatos. Fuerunt igitur anno primo, expulsis regibus, Consules Lucius Junius Brutus, qui maximè egerat, ut Tarquinius pelleretur, et Tarquinius Collatinus, maritus Lucretiæ. Sed Tarquino Collatino statim sublata dignitas est; placuerat enim, ne quisquam in urbe maneret, qui Tarquinius vocaretur. Ergo, accepto omni patrimonio suo, ex urbe migravit; et loco ipsius factus est Valerius Publicola consul.

Commovit tamen bellum urbi Romanæ rex Tarquinius, qui fuerat expulsus; et, collectis undique multis gentibus, ut in regnum posset restitui dimicavit. In primâ pugnâ Brutus et Arnus; Tarquini filius, invicem se occiderunt; Romani tamen ex eâ pugna victores recesserunt. Brutum Romanæ matronæ defensorem pudicitæ suæ, quasi communem patrem, per annum luxerunt. Valerius Publicola Spurium Lucretium Tricipitinum collegam sibi fecit, Lucretiæ patrem; quo morbo mortuo, iterum Hora-

tium Pulvillum collegam sibi sumpsit. Ita primus annus quinque consules habuit, quàm Tarquinius Collatinus urbe cecisset propter nomen, Brutus prælio periisset, Spurius Lucretius morbo mortuus esset.

6.

**Pórsena, rey de los Etruscos, auxilia a Tarquino.
Guerra contra los Sabinos**

Secundo quoque anno, iterum Tarquinius, ut reciperetur in regnum, bellum Romanis intulit, auxilium ei ferente Porsenâ, Thuscix rege, et Romam penè cepit; verùm tam quoque victus est. Tertio anno post reges exactos, Tarquinius quàm suscipi non posset in regnum, neque ei Porsena, qui pacem cum Romanis fecerat, auxilium præstaret, Tusculum se contulit, quæ civitas non longè ab urbe est; atque ibi per quatuordecim annos privatus cum uxore persenuit.—Quarto anno post reges exactos, quàm Sabinis Romanis bellum intulissent, victi sunt, et de his est triumphatum.

Quinto anno, Lucius Valerius, ille Bruti collega, et quartus Consul, fataliter mortuus est; adeò pauper, ut, collatis a populo nummis, sumptum habuerit sepulturæ; quem matronæ, sicut Brutum, annum luserunt.

7.

**Origen de la dictadura.—Origen del poder tribunicio.
Guerra de los Volscos.—Los Decenviros**

Nono anno post reges exactos, quàm gener Tarquini, ad injuriam soceri vindicandam, ingentem colle-

gisset exercitum, nova Romæ dignitas est creata quæ *Dictatura* appellatur, major quàm Consulatus. Eodem anno etiam *Magister Equitum* factus est, qui Dictatori obsequeretur..... Dictator autem Romæ dirimus fuit Lartius: Magister Equitum primus, Spurius Cassius.

Sexto decimo anno post reges exactos seditionem populus Romæ fecit, tanquam a senatu atque Consulibus premeretur. Tum et ipse sibi Tribunos plebis, quasi proprios iudices et defensores creavit, per quos contra Senatum et Consules tutus esse posset.

Sequenti anno Volsci contra Romanos bellum reparaverunt; et, victi acie, etiam Coriolos civitatem, quam habebant optimam, perdiderunt.

Anno trecentesimo et altero ab urbe conditâ imperium consulare cessavit, et pro duobus consulibus decem facti sunt, qui summam potestatem haberent, *Decemviri* nominati.

CARTAS DE CICERÓN

1.

M. T. Cicero, C. Memnio S. P. D.

Aulum fusium, unum ex meis intimis, observantissimum studiosissimumque nostri, eruditum hominem et summa humanitate, tuaque amicitia dignissimum, velim ita tractes, ut mihi coram recepisti. Tam gratum mihi id erit, quam quod gratissimum. Ipsum præterea summo officio, et summa observantia, tibi in perpetuum devinxis. Vale.

2.

M. T. Cicero, Bruto S. P. D.

Lucius Castronius Pætus, longe princeps municipii Lucensis, est honestus, gravis, plenus officii, bonus plane vir, et cum virtutibus tum etiam fortunæ si quid hoc ad rem pertinet, ornatus: meus autem est familiarissimus, sic prorsus, ut nostri ordinis observet neminem diligentius. Quare ut et meum amicum, et tua dignum amicitia, tibi commendo. Cui quibuscumque rebus commodaveris, tibi profecto jucundum, mihi certe erit gratum. Vale.

3.

M. T. Cicero, Servio S.

Hagesæretus Larissæus magnis meis beneficiis ornatus in consulatu meo, memor et gratus fuit meque postea diligentissime coluit. Eum tibi magnopere commendo, ut et hospitem meum, et familiarem, et gratum hominem, et virum bonum, et principem civitatis suæ, et tua necessitudine dignissimum. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

4.

M. T. Cicero, Terentiæ S. P. D.

Ad cæteras meas miseras accessit dolor et e Dolabellæ valetudine, et e Tulliæ. Omnino de omnibus rebus nec quid consilii capiam, nec quid faciã, scio. Tu velim tuam et Tulliæ valetudinem cures. Vale.

5.

M. T. Cicero, Terentiæ suæ S. P. D.

Quid fieri placeret, scripsi ad Pomponium serius, quam oportuit. Cum eo si locuta eris, intelliges quid fieri velim. Apertius scribi, quando ad illum scripseram, necesse non fuit. De ea re, et de cæteris rebus, quam primum velim nobis litteras mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. VII. Idus. Quint.

6.

M. T. Cicero, Terentiæ suæ, Tulliolæ suæ, Ciceroni suo S. D.

Et litteris multorum, et sermone omnium perferatur ad me, incredibilem tuam virtutem, et fortitudinem esse, teque nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Me miserum! Te ista virtute, fide, probitate, humanitate, in tantas ærumnas propter me incidisse! Tulliolamque nostram, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! Nam quid ego de Cicerone dicam qui, quum primum sapere cœpit, acerbissimos dolores miseriasque percepit? Quæ si, ut tu scribis, fato facta putarem, ferrem paulo facilius; sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab his me amari putabam, qui invidebant; eos non sequebar, qui petebant. Quod si nostris consiliis usi essemus, neque apud nos tantum valuisset sermo aut stultorum amicorum, aut improborum, beatissimi viveremus. Nunc quando sperare nos amici jubent, dabo operam, ne mea valetudo tuo labori desit. Res quanta sit, intelligo, quantoque fuerit facilius manere domi, quam redire. Sed tamen, si omnes tribunos plebis habemus, si Lentulum tam studiosum quam videtur, si vero etiam Pompejum et Cæsarem, non est desesperandum. De familia, quomodo placuisse amicis scribis, faciemus. De loco nunc quidem jam abiit pestilentia; sed quandiu fuit, me non attigit. Plancius homo officiosissimus me cupit esse secum et adhuc retinet. Ego volebam loco magis deserto esse in Epiro, quo neque Hispo veniret nec milites; sed adhuc Plancius me retinet. Sperat posse

fieri, ut mecum in Italiam decedat. Quem ego diem si videro, et in vestrum complexum venero, ac si et vos, et me ipsum recuperaro, satis magnum mihi fructum videbor percepisse et vestrae pietatis, et meae. Pisonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus est, ut nihil supra possit. Utinam ea res ei voluptati sit; gloriae quidem video fore. De quinto fratre nihil ego te accusavi; sed vos, cum praesertim tam pauci sitis, volui esse quam conjunctissimos. Quibus me voluisti agere gratias, egi: et me a te certiore factum esse scripsi.

Quod ad me, mea Terentia, scribis, te vicum vendituram, quid, obsecro te, me miserum! quid futurum est? Et si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet? Non queo reliqua scribere, tanta vis lacrymarum est....., ne te in eundem fletum adducam. Tantum scribo, si erunt in officio amici, pecunia non poteris. Per fortunas miseras nostras, vide ne puerum perditum perdamus: cui si aliquid erit, ne egeat, mediocri virtute opus est, et mediocri fortuna, ut cetera consequatur. Fac valeas, et ad me tabellarios mittas, ut sciam quid agatur, et vot quid agatis. Mihi omnino jam brevis exspectatio est. Tulliolarum et Ciceroni salutem dic. Valet.

Datum VI. Kalendas Decembris, Dyrrhachii.

Dyrrhachium veni, quod et libera civitas est, et in me officiosa, et proxima Italiae. Sed si me offendet loci celebritas, alio me conferam, et ad te scribam.

7.

M. T. Cicero, Terentiae suae S. P. D.

Nec saepe est cui litteras demus; nec rem habemus ullam, quam scribere velimus. Ex tuis litteris quas

proxime accepi, cognovi prædium nullum venire potuisse. Quare videatis velim, quomodo satisfiat ei cui scitis me satisfieri velle. Quod nostra tibi gratias agit, id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. Pollicem, si adhuc non est profectus, quamprimum fac extrudas. Cura ut valeas. Id. Quintilis.

8.

M. T. Cicero, S. D. L. Valerio Jurisc.

Cur enim tibi hoc non gratificer, nescio; præsertim cum his temporibus audacia pro sapientia liceat uti. Lentulo nostri egi perlitteras tuo nomine gratias diligenter. Sed tu velim desinas jam nostris litteris uti, et nos aliquando revisas; et ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic ubi solus sapere videare: quam qui istinc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas; partim contumeliosum, quod male respondeas. Sed jam cupio tecum coram jocari: quare fac ut quamprimum venias, neque in Apuliam tuam accedas, ut possimus salvum venisse gaudere. Nam illo si veneris, tamquam Ulysses cognosces tuorum neminem. Vale.

9.

M. T. Cicero, Curioni S. D.

Gravi teste privatus sum amoris summi erga te mei, patre tuo, clarissimo viro: qui cum suis laudibus, tum vero te filio, superasset omnium fortunam, si ei contigisset ut te ante videret, quam e vita discede-

ret: sed spero nostram amicitiam non egere testibus. Tibi patrimonium Dii fortunent. Me certe habebis, cui et carus æque sis et jucundus, ac fuisti patri. Vale.

10.

M. T. Cicero, Curioni S. P. D.

Hæc negotia quomodo se habeant, ne epistola quidem narrare audèo. Tibi, etsi ubicumque es, ut scripsi ad te antea, in eadem es navi, tamen quod abes, gratulor, vel quia non vides ea quæ nos, vel quod excelso et illustri loco sita sit laus tua, in plurimorum et sociorum et civium conspectu: quæ, ad nos nec obscuro, nec vario sermone, sed et clarissima, et una omnium voce perfertur. Unum illud nescio, gratulerne tibi an timeam, quod mirabilis est expectatio redditus tui: non quo verear ne tua virtus, opinioni hominum non respondeat; sed mehercule, ne cum veneris, non habeas jam quod cures: ita sunt omnia debilitata jam prope et extincta. Sed hæc ipsa nescio rectene sint litteris commissa: quare cætera cognosces ex aliis. Tu tamen, sive habes aliquam spem de republica, sive desperas, ea para, meditare, cogita, quæ esse in eo cive ac viro debent, qui sit rempublicam afflictam et oppressam, miseris temporibus, ac perditis moribus, in veterem dignitatem ac libertatem vindicaturus. Vale.

11.

M. T. Cicero, Ampio Balbo S. D.

De meo studio erga salutem et incolumitatem tuam credo te cognosse ex litteris tuorum; quibus me cu-

mulatissime satisfecisse certe scio; nec iis conecdo, *quamquam* sunt singulari in te benevolentia, ut te salvum malint quam ego. Illi mihi necesse est concedant, ut tibi plus quam ipsi hoc tempore prodesse possim: quod quidem nec destiti facere, nec desistam: et jam in maxima re feci, et fundamenta jeci salutis tuæ. Tu fac bono animo magnoque sis, meque tibi nulla re defuturum esse confidas. Vale. Pridie Nonas Quintiles.

12.

M. T. Cicero, Terentiæ suæ S. P. D.

Si vales bene est: ego valeo. Tullia nostra venit ad me pridie Idus Junii: cujus summa virtute et singulari humanitate, graviore etiam sum dolore affectus, nostra factum esse negligentia, ut longe alia in fortuna esset, atque ejus pietas ac dignitas postulabat. Nobis erat in animo Ciceronem ad Cæsarem mittere, et cum eo Cn. Sallustium. Si profectus erit, faciam te certiolem.

Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XVII. Kalendas Quint.

13.

M. T. Cicero, Terentiæ suæ S. P. D.

Quod scripsi ad te proximis litteris de nuntio remittendo, quæ sit istius vis hoc tempore et quæ concitatio multitudinis, ignoro. Si metuendus iratus est, quies tamen ab illo fortasse nascetur. Totum judicabis quale sit: et, quod in miserimis rebus minime miserum putabis, id facies. Vale. VI. Idus Quintiles.

DISCURSO DE CICERÓN
CONTRA
LUCIO SERGIO CATILINA

EXORDIO

1.

Cicerón descubre los tenebrosos planes que Catilina proyecta para arruinar la república. — Castigo que merece por su audacia inaudita

Quousque tandem abutere, Catilina, patientiâ nostrâ? Quandiu nos etiam furor iste tuus eludet? Quem ad finem sese effrenata jactabit audacia? Nihil ne te nocturnum præsidium Palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil consensus honorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatûs locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere consilia tua non sentis? constrictam jam horum omnium conscientiâ teneri conjurationem tuam non vides? Quid proximâ, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris?

O temporal! o mores! Senatus hæc intelligit, consul videt, hic tamen vivit. Vivit? immò verò etiam in senatum venit: fit publici consilii particeps: notat et designat oculis ad cædem unumquemque nostrum. Nos autem viri fortes satisfacere reipublicæ videmur, si istius furem ac tela vitemus.

Ad mortem te, Catilina, duci jussu consulis jam pridem oportebat: in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jandiu marchinaris. An verò vir amplissimus P. Scipio Pontifex maximus Tib. Gracchum, mediocriter labefactantem statum reipublicæ privatus interfecit; ¿Catilinam verò, orbem terræ cæde atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua prætereo, quod Q. Servilius Ahala Sp. Melium, novis rebus studentem, manu suâ occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quàm acerbissimum hostem coercerent. Habemus enim senatûsconsultum in te, Catilina, vehemens et grave: non deest reipublicæ consilium neque auctoritas hujus ordinis: nos, nos, dico apertè, consules desumus.

CONFIRMACION

2.

Cicerón hace presente, con ejemplos, la severidad usada con los trastornadores del sosiego público en la antigüedad y la lenidad observada en esta ocasión por el Senado

Decrevit quondam Senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid respublica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit: interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus clarissimo patre natus, avis, majoribus: occissus est cum liberis M. Fulvius consularis. Simili senatûsconsulto C. Mario et L. Valerio consulibus permissa est respublica: ¿num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis

et C. Servilium mors ac reipublicæ pœna remorata est? At nos vigesimum jam diem patimur habescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujusmodi senatûsconsultum, verumtamen inclusum in tabulis, tamquam gladium in vagina reconditum: quo ex senatûsconsulto confestim interfectum te esse, Catilina, convenit. Vivis; et vivis, non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.

Cupio, patres Conscripti, me esse clementem: cupio in tantis reipublicæ periculis non dissolutum videri; sed jam me ipsum inertiae nequitiaeque condemno. Castra sunt in Italia contra rempublicam in Etruriæ faucibus collocata; crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem imperatorem castrorum, ducemque hostium intra mœnia, atque adeo in senatu videmus, intestinam aliquam quotidie pernitiem reipublicæ molientem. Si te jam, Catilina, comprehendi, si interfici jussero, credo, erit verendum mihi, ne non hoc potiùs omnes boni seriùs a me, quàm quisquam crudeliùs factum esse dicat. Verùm ego hoc quod jam pridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor ut faciam. Tum denique interficiam te, cùm jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non jure factum esse fateatur. Quamdiu quisquam erit qui te defendere audeat, vives: et vives, ita ut nunc vivis, multis meis et firmis præsiidiis obsessus, ne commovere te contra rempublicam possis.

3.

El orador invita a Catilina para que se arrepienta, después de descubrirle toda la trama de su conjuración, señalándole hasta las circunstancias de lugar, tiempo y personas

Etenim quid est, Catilina, quod jam amplius expectes, si neque nox tenebris obscurare cœtus nefarios, nec privata domus parietibus continere vocem conjurationis tuæ potest? si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta jam istam mentem, mihi crede, obliviscere cædis atque incendiorum. Teneris undique: luce sunt clariora nobis tua consilia omnia, quæ etiam mecum licet recognoscas. Meministine me ante diem XII. Calendas Novembris dicere in senatu, certo die fore in armis, qui dies futurus esset ante diem VI. Calendas Novembris, C. Manlium audaciæ satellitem atque administrum tuæ? Num me fefellit, Catilina, non modò res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verùm, id quod multò magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu cædem te optimatum contulisse in ante diem V. Calendas Novembris, tum cùm multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi, quàm tuorum consiliorum reprimendorum causâ profugerunt. Num inficiari potes, te illo ipse diè, meis præsiidiis, meâ diligentia circumclusum, commovere te contra rempublicam non potuisse, cùm tu discessu ceterorum, nostrâ tamen, qui remansissemus, cæde contentum te esse dicebas? Quid cùm te Præneste Calendis ipsis Novembris occupaturum nocturno impetu esse confideres: sensistine illam coloniam meo jussu meis præsiidiis, custodiis, vigiliisque

esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihii cogitas, quod ego non modò audiam, sed etiam videam, planeque sentiam.

Recognosce mecum tandem illam superiorem noctem: jam intelliges multò me vigilare acriùs ad salutem, quàm te ad perniciem reipublicæ. Dico te priori nocte venisse inter falcarios (non agam obscure) in M. Leccæ domum: convenisse eodem complures ejusdem amentiaæ scelerisque socios. Num negare audes? quid taces? Convincam, si negas. Video enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum unà fuere.

4.

Cicerón descubre a Catilina el proyecto que tenía éste de asesinarle, y le aconseja se vaya desterrado de Roma con todos sus cómplices

¡O dii immortales! ¿ubinam gentium sumus? ¿quam rempublicam habemus? ¿in qua urbe vivimus? Hic, hic sunt, in nostro numero, P. C., in hoc orbis terræ sanctissimo gravissimoque consilio, qui de meo nostrumque omnium interitu, qui de hujus urbis, atque adeò orbis terrarum exitio cogitent. Hosce ego video consul, et de republica sententiam rogo: et quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero. Fuisti igitur apud Leccam eâ nocte, Catilina: distribuisti partes Italiae: statuisti quò quemque proficisci placeret; delegisti quos Romæ relinqueres, quos tecum educeres: descripsisti urbis partes ad incendia: confirmasti te ipsum jam esse exiturum: dixisti paullulum tibi esse etiam tum moræ, quod ego viverem.

Quæ cum ita sint, Catilina, perge quo cœpisti: egredere aliquando ex urbe: patent portæ: proficis-

cere. Nimum diu te imperatorem illa tua Manliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos; sin minùs, quàm plurimos. Purga urbem. Magno me metu liberabis, dummodo iter me atque te murus intersit. Nobiscum versari jam diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam. Magna diis immortalibus habenda est gratia, atque huic ipse Jovi Stateri, antiquissimo custodi hujus urbis, quod hanc tam tetram, tam horribilem, tamque infestam reipublicæ pestem toties jam effugimus. Non est sæpius in uno homine salus summa periclitanda reipublicæ. Quamdiu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me præsidio, sed privata diligentia defendi.

5.

Exhorta con viveza a Catilina para que abandone a Roma, donde todos le temen y le aborrecen por sus grandes crímenes, tanto en la vida privada como pública

Quare, quoniam id quod primum, atque hujus imperii disciplinæque majorum, proprium est, facere non audeo; faciam id, quod est ad severitatem lenius, ad communem salutem utilius. Nam si te interfici jussero, residebit in republica reliqua conjuratorum manus. Sin tu (quod te jam dudum hortor) exieris, exhaustietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosissima sentina reipublicæ. Quid est, Catilina? num dubitas id me imperante facere, quod jam tua sponte faciebas? Exire ex urbe consul hostem jubet: interrogas me, num in exilium? non jubeo; sed si me consulis, suadeo.

Quid enim, Catilina, est, quod te jam in hac urbe delectare possit, in qua nemo est, extra istam con-
jurationem perditorum hominum, qui te non metuat,
nemo qui te non oderit? Quæ nota domesticæ tur-
pitudinis non inusta vitæ tuæ est? quod privatarum
rerum dedecus non hæret infamiæ? quæ libido ab
oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod
flagitium a toto corpore abfuit? Cui tu adolescen-
tulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non
aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem
prætulisti? Quid verò nuper cum inorte superioris
uxoris novis nuptiis domum vacuum fecisses, nonne
etiam alio incredibile scelere hoc scelus cumulasti?
Quod ego prætermitto, et facilè patior sileri ne in
hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse,
aut non vindicata esse videatur. Prætermitto ruinas
fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi pro-
ximis idibus senties.

6.

**Cicerón le hace ver las significativas muestras de
desaire que recibe a cada paso de los senadores,
pudiendo demostrarle todo esto, que la patria
misma le ordena salga de Roma sin vacilar**

Ad illa venio, quæ non ad privatam ignominiam
vitiatorum tuorum, non ad domesticam tuam difficul-
tatem ac turpitudinem, sed ad summam reipublicæ,
atque omnium nostrum vitam salutemque pertinent.
Potestne tibi hujus vitæ hæc lux, Catilina, aut cœli
spiritus esse jucundus, cum scias esse neminem, qui
nesciat te pridie Calendas Januarias, Lepido et Tullo
consulibus, stetisse in comitio cum telo? manum,

consulum et principum civitatis interficiendorum causâ, paravisse? sceleri ac furori tuo non mentem aliquam aut timorem tuum, sed fortunam reipublicæ obstitisse?

Ac jam illa omitto; neque enim sunt aut obscura, aut non multò postea commissa. Quoties tu me designatum, quoties me consulem interficere conatus es? Quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari, posse non viderentur, parvâ quadam declinatione, et ut ajunt, corpore effugi?

Nunc verò quæ tua est ista vita? sic enim jam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordiâ, quæ tibi nulla debetur. Venisti paulo ante in senatum. Quis te ex hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, cum sis gravissimo judicio taciturnitatis oppressus? Quid quod adventu tuo ista subsellia vacua facta sunt? quid quod omnes consulares, qui tibi persæpe ad cædem constituti fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt? Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas? Servi mehercule mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam reliquemdam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? Et si me meis civibus injuriâ suspectum tam graviter atque infensum viderem, carere me aspectu civium, quàm infestis oculis omnium conspici malletm. Tu cum conscientiam scelerum tuorum agnoscas odium omnium justum, et jam tibi diu debitum; dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum aspectum præsentiamque vitare? Si te parentes timerent atque odissent tui, neque eos ulla ratione placare posses,

ut opinor, ab eorum oculis aliquò concederes. Nunc te patria, quæ communis est omnium nostrum parens, odit ac metuit, et jamdiu te nihil judicat, nisi de parricidio suo cogitare. Hujus tu neque auctoritatem verebere, neque judicium sequere neque vim pertimesces?

7.

Le echa en cara el orador el haber pretendido Catilina de él y de los senadores, que le guardasen en su casa en calidad de arrestado político.—Los senadores y los nobles caballeros con su silencio expectante le ordenan salga de la ciudad

Hæc si tecum, ut dixi patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiamsi vim adhibere non possit? Quid quod tu te ipse in custodiam dedisti? Quid? quod vitandæ suspicionis causâ apud M. Lepidum te habitare velle dixisti? a quo non receptus, etiam ad me venire ausus es, atque, ut domi meæ te asservarem, rogasti? Cùm a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse iisdem parietibus tutò esse tecum, qui magno in periculo essem, quod iisdem mœnibus contineremur, ad Q. Metellum prætorem venisti. A quo repudiatas, ad sodalem tuum virum optimum M. Marcellum demigrasti: quem tu videlicet, et ad custodiendum te diligentissimum, et ad suspicandum sagacissimum, et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quàm longè videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipsum jam dignum custodiâ judicaverit?

Quæ cùm ita sint, Catilina, dubitas, si hic emori æquo animo non potes, abire in aliquas terras, et

vitam istam multis suppliciis justis debitisque ereptam, fugæ solitudinique mandare? Refer, inquis, ad senatum (id enim postulas): et si hic ordo sibi placere decreverit te ire in exilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam id, quod abhorret a meis moribus: et tamen faciam, ut intelligas quid hi de te sentiant. Egredere ux urbe, Catilina: libera rempublicam metu: in exilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere. Quid est, Catilina? ecquid attendis, ecquid animadvertis horum silentium? Patiuntur, tacent. Quid exspectas auctoritatem, loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicias?

At si hoc idem huic adolescenti optimo P. Sextio, si fortissimo viro M. Marcello dixissem, jam mihi consuli hoc ipso in templo jure optimo senatus vim et manus intulisset; de te autem, Catilina, cum quiescunt, probant; cum patiuntur, decernunt; cum tacent, clamant. Neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima; sed etiam illi equites romani honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives, qui circumstant senatum; quorum tu et frequentiam videre, et studia perspicere, et voces paulo ante exaudire potuisti.

8.

Creyéndole incapaz de corregirse, invita Cicerón al conspirador para que se vaya con Manlio y sus cómplices a cometer toda clase de excesos

Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ullum ut exilium cogites? Utinam tibi istam mentem dii immortales darent! Tametsi video, si mea

voce perterritus ire in exilium animum induxeris, quanta tempestas invidiæ nobis, si minùs in præsens tempus recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed est mihi tanti, dummodo ista mea privata sit calamitas, et a reipublicæ periculis sejungatur. Sed tu ut vitiis tuis commoveare, ut legum pœnas pertimescas, ut temporibus reipublicæ concedas, non est postulandum. Neque enim, Catilina, is es, ut te aut pudor a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocarit. Quamobrem, ut sæpe jam dixi proficiscere: ac si mihi inimico, ut prædicas, tuo conflare vis invidiam, rectâ perge in exilium; vix feram sermones hominum, si id feceris: vix molem istius invidiæ, si in exilium ieris jussu consulis, sustinebo.

Hic tu quâ lætitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta in voluptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam, neque videbis? Ad hujus vitæ studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui: jacer humi, non modò ad obsidendum stuprum, verùm etiam ad facinus obeundum: vigilare, non solùm ad insidiandum somno maritorum, verùm etiam bonis occissorum. Habes ubi ostentes illam præclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiæ rerum omnium, quibus te brevi tempore confectum esse senties.

9.

Respuesta que daría Cicerón a las inculpaciones que pudiera hacerle el Senado, por permitir saliera Catilina vivo de Roma cuando merecía la muerte

Nunc ut a me, Patres Conscripti, quamdam prope justam patriæ querimoniam detester ac deprecet; percipite quæso diligenter quæ dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. Etenim si mecum patria, quæ mihi vitâ meâ multò est carior, si cuncta Italia, si omnis respublica loquatur: «M. Tulli, quid agis? tunc eum quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem conjunctionis, evocatorem servorum et civium perditorum, exire patieris, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? Nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? Quid tandem impedit te? mosne majorum? at persæpe etiam privati in hac republica perniciosos cives morte murtarunt.»

His ego sanctissimis reipublicæ vocibus, et eorum hominum qui idem sentiunt, mentibus pauca respondeo. Ego si hoc optimum factu judicarem, Patris Conscripti, Catilinam morte multari, unius usuram horæ gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim si summi viri et clarissimi cives, Saturnini, et Gracchorum, et Flacci, et superiorum complurium sanguine non modò se non contaminarunt, sed etiam honestarunt, certè verendum mihi non erat, ne quid,

hoc parricidâ civium interfecto, invidiæ mihi in posteritatem redundaret.

10.

Hace ver Cicerón al Senado con un nuevo argumento, apoyado en varios ejemplos, las ventajas que reportaría la república con ser desterrado Catilina

Quamquàm nonnulli sunt in hoc ordine, qui, aut ea quæ imminent non videant, aut ea quæ vident dissimulent; qui spem Catilinæ mollibus sententiis aluerunt, conjurationemque nascentem non credendo corroboraverunt. Quorum auctoritatem secuti multi non solùm improbi, verùm etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regiè factum esse dicerent. Nunc intelligo, si iste, quò intendit, in Manliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat conjurationem esse factam; neminem tam improbum, qui non fateatur.

Etenim jamdiu, Patres Conscripti, in his periculis conjurationis insidiisque versamur; sed nescio quo pacto omnium scelerum ac veteris furoris et audaciæ maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quòd si ex tanto latrocinio iste unus tollatur, videbimur fortasse ad breve quoddam tempus curâ et metu esse relevati; periculum autem residebit, et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus reipublicæ. Ut sæpe homines ægri morbo gravi, cùm æstu febrique janctantur, si aquam gelidam biberint, primò relevari videntur, deinde multò graviùs vehementiùsque afflictantur: sic hic morbus, qui est in republica, relevatus istius pœnâ, vehementiùs vivis reliquis ingravescet.

EPILOGO

11.

Petición al Senado para consentir en la salida del conspirador, beneficiosa para la salud de la república. Invocación a Júpiter para que no deje impunes los delitos de los enemigos de la patria

Quare, P. C., secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur, muro denique, id quod sæpe jam dixi, secernantur a nobis: desinant insidiari domi suæ consuli, circumstare tribunal prætoris urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolo et faces ad inflammandam urbem comparare. Sit denique inscriptum in fronte uniuscujusque civis quid de republica sentiat. Polliceor hoc vobis, P. C., tantam in nobis consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem, ut Catilinæ profectione omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata, esse videatis. Hisce omnibus, Catilina, cum summa reipublicæ salute, et cum tua peste ac pernicie, cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere parricidioque junxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Tum tu, Jupiter, qui iisdem, quibus hæc urbs, auspiciis a Romulo es constitutus, quem Statorem hujus urbis atque imperii verè nominamus, hunc et hujus socios a tuis aris, ceterisque templis, a tectis urbis ac mœnibus, a vita fortunisque civium omnium arcebis: et omnes inimicos bonorum, hostes patriæ, latrones Italiæ, scelerum fœdere inter se ac nefariâ societate conjunctos, æternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

FÁBULAS DE FEDRO

Vulpes ad personam tragicam

Personam tragicam forte vulpes viderat:
O quanta species, inquit, cerebrum non habet!
Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

Mons parturiens

Mons parturibat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima expectatio.
At ille murem peperit.—Hoc scriptum est tibi,
Qui, magna quum minaris, extricas nihil.

Vacca, Capella, Ovis et Leo

Nunquam est fidelis cum potente societas;
Testatur hæc fabella propositum meum.
Vacca et Capella, et patiens Ovis injuriæ,
Socii fuere cum Leone in saltibus.
Hi quum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus, partibus factis, Leo:
«Ego primam tollo, nominor quia Leo:
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi:
Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia:
Malo afficietur, si quis quartam tetigerit.»
Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

De vitiis Hominum

Peras imposuit Jupiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus;
Alii simul delinquant, censores sumus.

Rana rupta et Bos

Inops potentem dum vult imitari, perit.
In prato quondam rana conspexit bovem,
Es tacta invidia tantæ magnitudinis,
Rugosam inflavit pellem: tum natos suos
Interrogavit, an bove esset latior?
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Majore nisu, et simili quæsit modo;
Quis major esset? Illi dixerunt: bovem.
Novissime indignata dum vult validius
Inflare sese, rupto jacuit corpore.

Lupus et Gruis

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat: primum, quoniam indignos adjuvat;
Impune abire deinde quia jam non potest.
Os devoratum fauce quum hæreret Lupi,
Magno dolore victus, cœpit singulos
Illicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem persuasa est jurejurando Gruis,
Gulæque credens colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam Lupo.
Pro quo quum pactum flagitaret præmium:

«Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, et mercedem postules!»

Asinus et Leo venantes

Virtutis expers, verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit, notis est derisui.

Venari, Asello comite, quum vellet Leo,
Contextit illum frutice, et admonuit simul,
Ut insueta voce terreret feras,
Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus
Clamorem subito tollit totis viribus,
Novoque turbat bestias miraculo;
Quæ dum paventes exitus notos petunt,
Leonis affliguntur horrendo impetu.
Qui, postquam cæde fessus est, Asinum evocat,
Jubetque vocem premere. Tunc ille insolens:
«Qualis videtur opera tibi vocis meæ?»
—«Insignis, inquit, sic ut, nisi nossem tuum
Animum genusque, simili fugissem metu.»

Ovis, Canis et Lupus

Solent mendaces luere pœnas malefici.
Calumniator ab Ove quum peteret Canis,
Quem commendasse panem se contenderet;
Lupus citatus testis, non unum modo
Deberi dixit, verum affirmavit decem.
Ovis damnata falso testimonio,
Quod non debebat, solvit. Post paucos dies,
Bidens jacentem in fovea conspexit Lupum:
«Hæc, inquit, merces fraudis a Superis datur.»

Leo senex, Aper, Taurus et Asinus

Quicumque amisit dignitatem pristinam,
Ignavis etiam jocus est in casu gravi.

Defectus annis, et desertus viribus
Leo quum jaceret, spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicavit ictu veterem injuriam.
Infestis Taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus, ut vidit ferum
Impune lædi, calcibus frontem extudit.
At ille expirans: «Fortes indigne tuli
Mihi insultare; te, naturæ dedecus,
Quod ferre certe cogor, bis videor mori.»

Canis fidelis

Repente liberalis stultis gratus est;
Verum peritis irritos tendit dolos.

Nocturnus quum fur panem misisset Cani,
Objecto tentans an cibo posset capi,
«Heus! inquit, linguam vis meam præcludere,
Ne latrem pro re domini? multum falleris;
Namque ista subita me jubet benignitas
Vigilare, facias no mea culpa lucrum.»

Asinus ad Senem pastorem

In principatu commutando civium,
Nil præter domini nomen mutant pauperes.
Id esse verum, parva hæc fabella indicat.

Asellum in prato timidus pascebat Senex:
Is, hostium clamore subito territus,

Suadebat Asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus: «Quæso, num binas mihi
Clitellas impositurum victorem putas?»

Canis et Cocodrilus

Consilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam, et deridentur turpiter.

Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A Cocodrilis ne rapiantur, traditum est.
Igitur quum currens bibere cœpisset Canis,
Sic Cocodrilus: «Quam libet lambe otio,
Noli vereri.» At ille: «Facerem, mehercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meæ.»

Muli et Latrones

Muli gravati sarcinis ibant duo:
Unus ferebat fiscos cum pecunia;
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille, onere dives, celsa cervice eminent,
Clarumque collo jactat tintinnabulum;
Comes quieto sequitur et placido gradu.
Subito Latrones ex insidiis advolant,
Interque cædem ferro Mulum sauciant,
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur casus quum fleret suos:
«Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo,
Nam nil amisi nec sum læsus vulnere.»

Hoc argumento tuta est hominum tenuitas;
Magnæ periclo sunt opes obnoxiae.

Panthera et Pastores

Solet a despectis par referri gratia.
Panthera imprudens olim in foveam decedit.
Videre agrestes: alii fustes congerunt,
Alii onerant saxis: quidam contra miseriti,
Perituræ quippe, quamvis nemo læderet,
Misere panem, ut sustineret spiritum.
Nox insecuta est: abeunt securi domum,
Quasi inventuri mortuam postridie.
At illa, vires ut refecit languidas,
Veloci saltu fovea sese liberat,
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis, provolat,
Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
Et cuncta vastans, sævit irato impetu.
Tum sibi timentes, qui feræ pepercerant,
Damnū haud recusant, tantum pro vita rogant.
At illa: «Memini qui me saxo petierit:
Quis panem dederit: vos timere absistite,
Illis revertor hostis, qui me læserant.»

Mustela et Mures

Mustela, quum, annis et senecta debilis,
Mures veloces non valeret assequi,
Involvit se farina, et obscuro loco
Abjecit negligenter. Mus, escam putans,
Assiluit, et compressus occubuit neci;
Alter similiter; deinde perit et tertius.
Aliquot secutis, venit et retorridus
Qui sæpe laqueos et muscipula effugerat,
Proculque insidias cernens hostis callidi:
«Sic valeas, inquit, ut farina es, quæ jaces!»

Gubernator et Nautæ

Quum de fortunis quidam quereretur suis,
Æsopus finxit consolandi gratia:

Vexata sævis navis tempestatibus,
Inter vectorum lacrymas et mortis metum,
Faciem ad serenam subito ut mutatur dies,
Ferri secundis tuta cœpit flatibus,
Nimiaque Nautæ se hilaritate extollere;
Factus periculo tum Gubernatur sopus;
«Parce gaudere oportet et sensim queri,
Totam quia vitam miscet dolor et gaudium.»

Homo et Colubra

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
Gelu rigentem quidam Colubram sustulit
Sinuque fovit contra se ipse misericors;
Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc alia quum rogaret causam facinoris,
Respondit: «Ne quis discat prodesse im̄probis.»

Duo calvi

Invenit calvus forte in trivio pectinem;
Accessit alter, æque defectus pilis.
«Eia, inquit, in commune quodcumque est lucrif!»
Ostendit ille prædam, et adjecit simul:
«Superum voluntas favit; sed, fato invido,
Carbonem, ut ajunt, pro thesauro invenimus.»
Quem spes delusit, huic querela convenit.

Graculus superbus et Pavò

Ne gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,
Æsopus nobis hoc exemplum prodidit.

Tumens inani Graculus superbia,
Pennas Pavoni quæ deciderant sustulit,
Seque exornavit. Deinde contemnens suos,
Formoso se pavonum immiscuit gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque rostris. Male mulcatus Graculus,
Redire mœrens cœpit ad proprium genus;
